

05
A
2028





DISPUTATIO ORDINARIA

De

MERITIS BONO-

RUM OPERUM;

quæ est de Bonis Operibus Tertia;

*Opposita toti Libro quinto Bellarmini de
Justificatione;*

Et publici exercitij gratiâ proposita in inclytâ
Academia Wittebergenſi.

PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO D.

Professore & Superintendente.

RESPONDENTE

M. LEVINO POUCHENIO,

Regiomontano Boruffo.

*Habebitur adjuvante Domini Spiritu ad diem 17. Novemb.
horis locoquè solitis.*



WITTEBERGÆ,

Typis GORMANNIANIS, Anno 1620.

Comp. 71
Muz. 71
A



Blatt A 50




WILHELM

THE GERMANNIA, Nov 1820.





THESIS I.



N controversiâ Bellarminianâ de Bonis operibus, quam superiori tempore examinandam suscepimus, restat *questio tertia*, quæ est, de *Operum Bonorum meritis*, quam Bellarminus tractat toto libro quinto de justificatione. Ubi melius & expeditius in indaganda veritate progredi non possumus, quam si Adversarium *κατὰ μέτρα* sequamur. Distribuit autem totum hunc tractatum in partes quatuor. Una est, an sint aliqua merita justorum: 2. quid sit meritum, seu, quid requiratur ad meritum constituendum: 3. qualia sint hæc merita, an ex condigno, vel congruo tantum: 4. propter quid fiat, seu, quid sit illud, quod propriè cadit sub meritum. De his ordine Bellarminum audiemus, & respondebimus, adjuvante Domini Spiritu.

CAPUT I.

De voce meriti.

II.

Meriti vox in bonam & malam partem accipi potest. In Bonam partem pro præmio vel mercede laboribus debitâ, & hoc sensu in scriptura non usurpatur. In malam autem partem pro pœnarum vox *Merendi* semel atq; iterum repetitur, ut Heb. 10, 29. *quanto putatis deteriora merebitur supplicia, qui filium DEI conculcaverit, & Job. 6, 2. peccata mea, quibus iram merui.*

Contra cap. 1. libr. 5. de justific. Bellarmin.

III.

Negari a. non potest, hanc vocem apud Latinos Patres, etiâ in bonam partem, non esse inusitatam, præsertim apud Augustinum: sed non eo sensu quasi vita æterna, aut ullum aliud DEI beneficium tribuatur

Vox Meriti κατὰ ξενισιν ὡς usurpatur à patribus.



ob dignitatem laborum nostrorum; sed merita vocarunt interdum ipsa opera in genere, sive bona sive mala sint: ut epist. 46. tom. 2. operum fol. 104. *Nec quisquam dicat, vel meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei suae sibi traditam DEI gratiam, & patetur verum esse, quod illi heretici dicunt, gratiam DEI secundum merita nostra dari, quod omnino falsissimum est, non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum, alioquin quomodo iudicabit DEUS hunc mundum, &c.* Expresse hic meritum vocatur opus hominis, sive bonum, sive malum. Interdum opera piorum in specie nominarunt merita, ut August. in Enchirid. cap. 107. *intelligendum est etiam ipsa hominis bona merita esse DEI munera, & Psal. 49. qui meritis suis fidit, non vult DEUM laudari.*

IV.

Orta autem est haec vox ex declinatione linguae Latinae, quae circa annum Domini ferè ducentimum facta est, ubi mereri dicebatur, qui consequebatur aliquid sive ex gratia, sive ex debito: & meritum, rei consecutio sive gratuita, sive debita. Vocant itaque Patres merita, quaecunque pietatis officia, quae DEUS liberali & non debita mercede compensat: id quod in principio hujus controversiae probè observandum est.

V.

Hoc sensu Augustana Confessio dicit, *opera bona esse meritoria praemiorum, temporalium, & spiritualium in hac vita & in futuro, sed non ipsius, vitae & salutis aeternae.* Nam & vitae aeternae, & praemiorum hujus & aeternae vitae consecutio est merè gratuita, nec quisquam est, qui vel minimum beneficium operibus suis proprie mereri possit, ita ut justa sit proportio inter labores hominum, & beneficia DEI. Sed quia vita aeterna simpliciter est donum DEI, Rom. 6. 23. nec ullibi legitur, quod detur operibus, ideo rectè dicitur, quod opera nostra mereri eam non possint. Vicissim autem, quia praemia hujus vitae & gradus gloriae in futura promittuntur juxta laborem hominum, sicut scriptum est: unusquisque accipiet mercedem, juxta suum laborem 1. Corinth. 3. 8. & merces vestra copiosa erit in caelis Matth. 5. 12. ideo consecutio illorum praemiorum vocatur meritum, non quod exclusum hic sit donum DEI gratuitum, sed quia multa operantibus multa quo-

quoque sunt gratuito promissa, DEO coronante sua bona in sanctis.

VI.

Quod autem in temporalibus DEI beneficiis sola DEI regnet gratia, exinde constat, quod multi pii homines iis saepenumero destituuntur. Laboraret ergo hic justitia DEI, si praemia hujus vitae à DEO darentur operibus hominum, ut debitum. Proinde vox *meriti & mereri* abusive in his locutionibus accipitur, non de justa, debitaque mercede laborum, sed de liberali, gratuitaque DEI remuneratione, qua pietatem & labores sanctorum compensat; idque non ex dignitate operum, alias pientissimi essent semper felicissimi; sed pro libera sua voluntate, ideo DEUM timentibus omnia bona promissa sunt, cum exceptione crucis. Ex his ergo intelligi potest, quomodo Apologia Augustanae Confessionis scribat, bona opera esse meritoria praemiorum temporalium & spiritualium, quam phrasin frustra objecit Bellarminus.

VII.

Deinde & illud perstringit, quod nostri dicunt, *opera justorum non esse meritoria ex propria dignitate, quasi revera justa sint, & legi satisfaciant, sed ex fide & indulgentia DEI, quia videlicet DEUS is, qui credunt sibi remissa peccata, indulgentiam suam tegat operum foeditatem, & sic accipiat, quasi justa essent.* Ubi r. nota, quod Bellarmino *ἰσοδυναμῶντα* sint, *opus vere justum & opus satisfaciens legi.* Id verò falsum est: nam omne opus bonum est opus in se verè justum, quia secundum legem DEI, & ex gratia Spiritus S. factum, licet nullum opus bonum legi satisfaciat, infirmatur enim per carnem Rom. 8. 3. 2. per calumniam nobis affingit, quasi doceamus, opera bona in se esse foeda, scimus enim ea extra forum justificationis esse bona ac sancta, sed foeditatem habent annexam ex corruptione naturae nostrae. Et hanc justitia Christi regi docemus ex scriptura Psal. 32, 1. Quo respectu vero hujusmodi opera sanctorum dicantur meritoria, ex praecedentibus constat.

CAPUT II.

De locis scripturae, in quibus est vox meriti.

VIII.

Contra cap.
2. lib. 5. Bel-
larini.

Probare vult Bellarminus nomen Meriti ex scripturis, quo quidem labore opus non fuisset; neq; enim de nomine, sed de sensu quaestio est. Audiamus tamen Adversarium: Primum ea adducit loca, ubi vox Meriti *ἀντὶ ἐργῶν* habetur. Talis est ille Eccles. 16. 15. *Omni misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Sed ita quidem habet lectio Latina: in græco autem est *ἀντὶ ἐργῶν*, secundum opera; nihil ergo probatur ex vitiosa versione. Hoc autem Bellarminus pro sua licentia dicit, *ἀντὶ ἐργῶν* idem esse, ac *secundum meritum operum*, vel *pro merito & dignitate operum.* Quid enim est, inquit, *reddere secundum opera, nisi reddere sicuti opera merentur?* Verum principium petitur hac assertione, certum enim est, quod hæc vox, *ἀντὶ ἐργῶν*, aliter reddi possit & debeat. Nam analogia fidei non patitur, ut notet meritum operum nostrorum, propriè sic dictum; huic enim contradicit Paulus, qui gratiam DEI & opera hominum etiam renatorum in articulo justificationis opponit, *Rom. 3, 28. 11, 6. Eph. 2, 9.* Ostenditur itaq; saltem conditio promissionis divinæ, quæ implebitur in iis, qui operibus sanctis studuerunt, licet opera illa non sint in se ullius gratiæ meritoria. Neq; v. ignoro, quod B. Lutherus ita reddidit, *einem jeglichen wird widerfahren/ wie er verdienet hat.* Sed nullum aliud meritum intelligit, quam compensationem laborum ex promissione gratuita factam. Et hoc est Lutheri mereri, *verdienen/* id nimirum præstare, quod Deus à suis requisivit, licet non propter illam obedientiam, sed ex mera gratiâ beneficia DEI conferantur.

IX.

Alter locus est Epistolæ Heb. 13, 16. *Beneficentiæ & communicationis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur DEUS.* Hoc in dicto agnoscit Bellarminus solæcismum interpretis, qui verbum *promeretur* passivè interpretatus est, rectissimè autem græcam vocem *ἠγαρεῖται* versam esse, ait. Significare enim hanc vocem delectari, exhilarari, ut sensus sit: talibus hostiis placatur DEUS. Sed enim
græca

græca vox non significat placare, vel reconciliare aliquem; sed placere. Non autem statim, quæ placent, sunt etiam meritoria. Placet obedientia filij parenti, non tamen meretur hæreditatem parentis, quamvis ad benefaciendum quotidie inducat. Placent autem bona opera, non tantum in specie facti, sed imprimis ob dignitatem personæ facientis, quæ jam per Christum cum DEO conciliata est.

X.

Deinde adducit Bellarminus loca, in quibus invenitur nomen dignitatis. Nā quod nos dicimus mereri, inquit, hoc dicunt græci ἀξιοῦν id est, dignum esse, & meritum vocant ἀξίον. Ita usurpatur 2. Thess. 1, 5. Ut digni habeamini regno DEI, Apoc. 3, 4. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt, &c. Sed græca vox ἀξιοῦν significat aliquid nancisci, sive merito sive gratis. Cum ergo Latinus interpres inclinante latina lingua aliam vocem reperire non posset, reddidit eam per mereri, quæ vox sæpè in hoc abusu significat gratuito vel ex promissione facta aliquid accipere, quemadmodum & supra annotavimus. Eadem est ratio in voce *Dignitatis*. Digni enim proprie quidem dicuntur, qui aliquid ex merito seu debito consequuntur. Sæpè tamen in scriptura τὸ ἀξίον idem est ac decens & cōveniens, ut 1. Cor. 16, 4. Si erit ἀξίον dignum, & me proficisci, proficiscar & ego, hoc est, si conveniens erit & Matth. 10, 37. qui diligit patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, h. e. non convenit, ut inter discipulos meos referatur. Sic & in Apocal. cap. 3. dicuntur electi digni esse, ut cum Christo ambulent: quia nimirum æquum est, & ita decet, ut fideles à Christo nunquam separentur. Ubi quilibet intelligit, nō haberi respectum ad meritum operum, sed ad fidem. Interdum etiam digni dicuntur in scriptura secundum *δικαιοσύνην* DEI. Nam secundum legem nemo verè dignus est apud DEUM ullo beneficio: nam si DEUS iniquitatem observaverit, quis subsistet coram eo? sed secundum Evangelium & gratiam omnes peccatores verè pœnitentes dignos censeat beneficiis filij sui: & hoc sensu pii dicuntur digni regno DEI, 2. Thess. 1, 5.

Dignitas
Digni.

XI.

Deniq; affert testimonia scripturæ, in quibus est vox Merces. Merces bōdis, ut Gen. 15, 1. ego protector tuus sum & merces tua magna nimis, 2. Par. 31, 7. erit merces operi vestro, Prov. 11, 18. seminanti iustitiā merces fidelis, Matth. 5,

Matth. 5, 12. *merces vestra copiosa est in caelis*, 1. Cor. 3, 8. *unusquisque propriam mercedem accipiet, &c.* At *merces & meritum relativa sunt*, inquit, *merces enim meritis redditur, sicut gratia gratis datur.* Sed vocabulum Mercedis est ambiguum. Interdum significat compensationem labori vel operi ex debito competentem, ita ut iusta sit proportio inter laborem & præmium, sicuti scriptum est Rom. 4, 4. *merces non datur secundum gratiam, sed secundum debitum, & talis merces redditur meritis.* Interdum autem notat compensationem gratuitam, quæ nullam habet proportionem ad laborem, & tamen non nisi præstito labore datur. Sic Deus ipse dicitur merces Abrahami magna nimis, cum tamen inter DEUM & Abrahami opera etiam sanctissima nulla possit reperiri proportio. D. Paulus ejusmodi mercedem vocat mercedem hæreditatis Col. 3, 24. & in Psalmo 127, 3. *merces & hæreditas sunt æquipollentia: Ecce filij hæreditas Domini, merces fructus ventris, &c.*

CAPUT III.

De dictis scriptura, quibus probat Bellarminus: Bona opera esse meritoria vite æternæ.

XII.

Ex his quæ dicta sunt de voce Meriti & Mercedis facilis est solutio argumentorum, quibus operum merita probantur à Pontificiis. Bellarminus ea ad certas classes redegit, quas ordine videbimus.

XIII.

Contra cap.
3. lib. 5. Bel-
larm.

Prima classis eorum locorum est, in quibus vita æterna vocatur *Merces*, e.g. Matth. 5, 12. *Merces vestra copiosa in caelis*, Matth. 20, 8. *voca operarios & redde eis mercedem.* Responsio patet ex præcedentibus. Nam I. non ipsa vita æterna vocatur merces, sed gloria in vita æterna: ideo dicitur *merces vestra copiosa erit in caelis.* Deus enim gradus pietatis gradibus gloriæ in cælo remunerabitur ex gratia. Aliàs ipsa vita æterna, non merces, sed donum DEI appellatur.

appellatur, Rom. 6, 23. 2. Si maximè vita æterna vocatur merces, non tamen intelligitur merces debita operibus, sed gratuita compensatio, mercedis nomine appellata, 1. quia gratuito promissa, 2. quia non nisi rectè laborantibus datur, quemadmodum hæreditas paterna non nisi filiis obedientibus, 3. quia pro caro precio meriti Christi datur, cuius respectu vita æterna non est gratuita, sed nobis multo labore ac sudore parata.

*Vita æterna
cur vocetur
merces.*

XIV.

Quod autem Bellarminus addit, voluisse Deum filios suos, qui usum rationis habent, proprijs laboribus & meritis vitam æternam acquirere, ut duplici titulo illis vita æterna debeat, titulo hæreditatis, & jure mercedis: id absq; omni fundamento scripturæ dicitur. Nam uno & eodem titulo & infantes & adulti sunt hæredes Dei, siquidem una via regia est in cælum, fides in Christum, seu renascentiæ beneficium Ioh. 3, 5. ideo gratia & opera hoc in genere simpliciter opponuntur Rom. 11, 6. si ex gratia, non ex operibus, alias gratia non esset gratia. Falsum autem est, quod Bellarminus ait: Magis esse honorificum, habere aliquid ex merito, quam ex solâ donatione. Id enim in rebus humanis locum habeat: in iudicio vero Dei summus honor noster in eo consistit; quod in filios adoptati sumus, cum inimici essemus. Idcirco hunc honorem magnoperè prædicat D. Johannes: Videte, qualem caritatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & simus 1. Ioh. 3, 1. Talis verò honor meritis operum nupiam tribuitur: non enim ab illis, sed ab *ἡσθεσία* ista dependet vita æterna, non ut debitum, sed ut hæreditas; nam si filii, & hædes Rom. 8, 17.

XV.

Falsum insuper est, quod Ballarminus in hoc argumento addit, Christo etiam duplici nomine obtigisse gloriam corporis & exaltationem nominis, partim, quia erat filius DEI, partim propter suam exinanitionem, juxta illud Phil. 2. humiliavit seipsum factus obediens usque ad mortem, propterea Deus illum exaltavit, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Neutra harum rationum obtinuit Christo exaltationem ad gloriam corporis. Non enim quia filius Dei erat, ideo gloriam corporis habuit & exaltatus fuit: talis enim fuit ab omni æternitate, ubi neq; gloria corporis, neque exaltatio nominis lo-

B

cum

cum habere potuit; neq; etiam ista ἀξιώματα debentur ei ut filio Dei, sed filio hominis, qui, quia particeps gloriae Filij Dei, vel ut Paulus loquitur, in forma Dei fuit, ideo nominis sublimitatē consecutus est, ut in nomine Iesu omne genu flecteretur: & quia caro ejus in morte non videre debuit corruptionem, ita surrexit in gloria, sicuti seminata fuit in ignominia.

XVI.

Deinde Christus sibi nihil promereri potuit, vel debuit, sed omnia nobis. Neque demum passione suā exaltationem nominis impetravit, sed jam à primâ conceptione habuit, quod operibus omnipotentia & virtutis suæ in statu exinanitionis suæ satis frequenter cōprobavit; sed exinanivit seipsum, ut Paulus loquitur, nō semper utens majestate suā, donec finito statu exinanitionis, & deposita servi forma in gloria suā ingressus est. Quod a. Paulus dicit, propterea Deus illū exaltavit, non notat causam meritoria, sed ordinem saltem: quod nimirum Christus hoc ordine ad plenam majestatis suæ usurpationem venerit, ut primum humiliaretur & pateretur, postea demum majestate & gloria sua plenè uteretur: quemadmodum Christus ipse explicat: hæc oportet Christum pati & sic intrare in gloriam suam *Luc. 24, 26*. Repetiit hunc errorem suum Bellarmin. *lib. 5. de Christo cap. 9.* quem ex Scholasticorum lacunis hausit, ut videre est apud Lombardum *lib. 3. sent. dist. 18.* Parum a. abest ab Ebionismo. Nam de Ebione refertur, quod dixerit, Christum propter morum profectum, tanquam alium hominem justificatū esse, qua de re videatur Euseb. *l. 3. hist. Eccl. c. 27.*

XVII.

Secunda classis ea habet scripturæ dicta, in quibus videtur præmium cœleste dari hominibus secundum mensuram & proportionem operum & laboris e.g. *Ps. 65. reddes unicuiq; secundum opera sua.* *Matth. 16. 27. reddet filius hominis unicuiq; secundum opera sua.* *Luc. 6, 38.* *Eadem mensura, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Similia sunt *Rom. 16.* *Gal. 6. 2.* *Cor. 3.* *Apoc. 22.* &c. Ad hæc & similia scripturæ dicta, solida & vera est responsio: quod illâ phrasi, *reddetur unicuiq; secundum opera sua*, non notetur meritum, sed testimonium bonorum operum. Hæc enim redditio respicit novissimum judicium, ubi justa fiet retributio omnium, quæ in hac vita gessimus. Erit a. iste actus visibilis,

Quid sit
secundum
opera.

bilis, ubi Deus electis suis tribuet, quod in verbo suo largissime promisit. Electi vero non omnibus noti erunt: ideo visibili quodam testimonio ipsos & fidem ipsorum notificabit universo mundo. Testimonium hoc erunt opera ipsorum, pro horum ergo testimonio sententia pronuntiabitur descripta Ioh. 3.16. qui crediderit in filium, vitam habebit æternam. Ita *Matth. 25.35.* ubi processus novissimi iudicii describitur, legimus sententiam pronuntiari secundum opera, quod a. non secundum qualitatem, dignitatem aut meritum operum pronuntietur, manifestum inde est, quod qui secundum opera beati dicuntur, vocantur ibi *benedicti v. 34.* Benedictio a. est à semine benedicto, Christo: dicuntur *κληρονομήσω*, hereditate possidere regnum, si autem ex hæreditate, ergo non ex merito: & deniq; regnum illud *paratum iis dicitur à constitutione mundi*, ubi nondum erant, nedum benè operari poterant.

XIIX.

Etsi vero hæc satis solida & scripturæ consentanea: oggerit tamen Bellarminus: ex hæc nostrâ interpretatione sequi, 1. *Scripturam non rectè dicere, dari præmium illud secundum proportionem laboris & operis uniuscujusq;.* Sed hæc scriptura nusquam dicit: somnium ergo Bellarmini est, contrarium potius dicit: fide non operibus *Rom. 3.28.* gratia non ex operibus *Rom. 4.6. & 11, 6. 2.* non posse dici, ait, dari præmium secundum proportionem majoris vel minoris fidei. Sed nec hoc scriptura dicit. Non enim impetrat fides vitam æternam, ratione suæ quantitatis, sed ratione correlati sui, Christi, qui parvâ fide æquè apprehenditur, quam magnâ. Nam *πληροφωρία* fidei in se neminem salvat, pertinet n. ad adjuncta: sed *ληψις*, quæ τὸ εἶναι fidei justificantis constituit. Quemadmodum ergo regulus Capernaiticus imbecilli suâ fide sanitatem filii æquè impetravit, ac Cananea heroicâ suâ fide emancipationem filix è potestate Satanæ: ita & Jobus, cujus fides in tentationibus sæpè fluctuavit, æquè hæres factus vitæ æternæ, ac Abrahamus, cujus fides in summis tentationum fluctibus instar Marpesiæ rupis immota stetit.

XIX.

Objicit præterea Bellarminus, *Si bonis operibus redditur præmium,*

B 2

saltem

saltem quatenus sunt signa fidei, sequeretur, etiam malis operibus reddi pœnas non nisi quatenus sunt signa perfidiæ, vel absentia veræ fidei. Sed est fallacia oppositorum. Nam mala opera sunt perfectè mala, ideo pœnas perfectè & verè mereri possunt: bona vero opera sunt imperfectè bona; ideo nullum eis tribui potest meritum. Vitiosa ergo fit collectio à conditione malorum operum, ad conditionem bonorum.

XX.

Tertia classis eorum dictorum est, quæ ita vitam æternam tribuunt operibus, ut ipsam rationem, cur detur vita æterna, in operibus ponant: ut Matth. 25. *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum &c. Esurivi etenim & dedistis mihi manducare. Et ibidem: quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Apoc. 7, 14. Hi sunt, qui venerunt ex magnâ tribulatione, & ideo sunt ante thronum DEI. In quibus locis, inquit, particula ENIM, QUIA, IDEO, sunt omnes causales ut notum est. Verùm enim verò hæ particulae in allegatis locis non sunt causales, sed ratiocinativæ, hoc est, non à priori velut ex causa colligunt effectum, sed a posteriori, velut ab effectu ratiocinantur ad causam jam antegressam, & personam describunt, de quibus talia dicuntur. Sic 1. Cor. 15, 5. usurpatur particula Enim, plures illorum non approbavit Deus, Prostrati enim sunt in deserto. Ubi certè prostratio in deserto non est causa displicentiæ, sed nota eorum, qui Deo non placuerunt. Sic 1. Iohan. 3, 14. Scimus quod translati sumus de morte in vitam, quia diligimus fratres. Ubi particula Quia, non notat causam illius translationis, sed signum ex quò nobis ea constet. Ita hi sunt, qui possident regnum Dei, qui esurientibus fregerunt panem; hi sunt, qui ante thronum DEI sunt, qui venerunt ex tribulatione magnâ; hi denique ingrediuntur regnum cœlorum, qui in paucis fuerunt fideles.*

XXI.

Excipit Bellarminus 1. hoc esse eludere sententias scripturæ. Christum enim nullis verbis melius dicere potuisse, opera misericordiæ esse veram causam salutis, quàm istis: possidete regnum; esurivi enim & dedistis mihi manducare. Sed nulla hic elusio: verum analogia fidei non admittit expositionem aliam, quam dedimus, quia vita æterna est do-
num

num Dei non nostrum meritum, nec ulla est proportio inter opera misericordiae, & vitam aeternam. Præterea in loco Matthæi c. 25. satis clarè opera excluduntur à merito vitæ aeternæ. Nam promittitur ea, ut hæreditas, benedictis Dei filiis, quibus ante fundamenta mundi parata fuit, quâ de re etiam plura in præcedentibus. 2. ait Bellarminus: *eodem modo loqui Dominum de bonorum præmijs, & de impiorum supplicijs: Ite maledicti in ignem aeternum, esurivi enim & non dedistis mihi manducare: In quibus verbis extra dubium redditur causa supplicij, non describuntur damnati.* Sed, ut hoc non negamus, ita nulla est ratio consequentiæ. Nam in hoc postremo, detectus operum misericordiae utrumq; notat, & causam meritoriam, quia opera mala sunt perfectè mala, & signum seu characterem damnatorum, quia ex operibus malis agnoscuntur homines mali, quemadmodum ex vitioso fructu vitiosa arbor: ex iisdem fit etiam collectio de pœnis aeternis, quas scriptura legis transgressoribus minatur. Quando autem operibus misericordiae vita aeterna promittitur, nihil aliud inde colligitur, quàm descriptio eorum, quibus facta est promissio, ex alia tamen causa: scriptura enim opera ex ordine causarum in salute hominis acquirenda excludit. 3. Opponit alia dicta, quibus opera misericordiae dicuntur operari salutem, ut 2. Cor. 4, 17. quod in præsentem est momentaneum, ut aeternum gloriae pondus operatur. Gal. 6, 8. qui seminatur in spiritu de spiritu metet vitam aeternam. Phil. 2. v. 12. cum timore & tremore salutem operamini. Sed non operantur ut causa efficiens, aut meritoria, verum ut removens prohibens: nam nisi exercitia illa fidei accederent, salus impietate hominum facilè interverteretur, quâ de re plura in disput: de Necess. bonorum operum thesi 175.

XXII.

Quarta classis eorum locorum est, quibus præmium bonis operibus ex iustitia dicitur esse reddendum: ut 2. Thess. 1, 6. *justum est apud Deum retribuere tribulationem his, qui tribulant vos, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* 2. Tim. 4, 8. *reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in die illa, justus iudex.* Hebr. 6, 10. *non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, &c.* Sed tribulationes non sunt merita, sed notæ verorum Christianorum, qui stigmata hujus-

modi in corpore suo portant. Iustum a. est, apud Deum retribuere tribulationem tribulantibus nos, æternâ Dei justitiâ, quâ pœnas interminatus est sceleratis: iustum autem vicissim est, requiem dare piis, ex justitia sua misericordi in nos affectu tinctâ & temperatâ, quia talis requies post tribulationes subsequutura à Deo promissa fuit. Sic & vita æterna appellatur corona, quia datur certanti & victori; justitiæ corona, quia Christus eam acquisivit nobis, & Deus gratuito promisit; reddetur autem à Deo, non propter nostra merita, sed propter gratuitam suam promissionem. Debitorem enim se nobis fidelis Dominus fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia nobis promittendo. Ideo viginti quatuor seniores abjiciunt coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus tu es Domine, qui accipias gloriam *Apoc. 4, 10.*

XXIII,

Quinta classis ea habet dicta, quibus promittitur vita æterna bonis operibus, *ut Matth 19. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Et ibid: Omnis qui reliquerit domum vel patrem & c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. 1. Tim. 4. pietas ad omnia utilis est, habens promissionem hujus & future vite. Iac. 1. accipies coronam vite, quam promisit Deus diligentibus se.* Hinc colligit: ergo promissio facta cum conditione operis debitam facit rem promissam, & conditio impleta meritum est rei promissæ, ita ut tanquam merces jure possit exigi. Sed neganda est consequentia. Nam gratia Dei & meritum nostrum simul stare non possunt, ut sæpe diximus. Promissa quidem est vita æterna, cum conditione obedientiæ seu bonorum operum, & hæc promissio legalis est: sed impleta conditio nequaquam est causa meritoria, ob quam detur vita (nam si omnia fecerimus, dicendum esset, servi inutiles sumus *Luc. 17, 10.*) sed medium & antecedens quoddam, quo posito vita æterna sequitur, propter aliam causam, nempe propter Christi laborem & sudorem. Etsi enim impleta conditio non meretur aliquid apud Deum, habet tamen alium usum, nimirum quia est infallibilis nota eorum, qui veram habent fidem, & quibus certò parata est corona vitæ. Sic promiserat DEUS Abrahamo Benedictionem sub conditione boni certaminis, *Gen. 12.* quam etiam fideliter implevit, factus obediens Deo usque ad mortem unigeniti filii: nihilominus

Benedi-

Promissio
vitæ æternæ
non facit
meritum
proprie sic
dictum.

Benedictio ei datūr non ut merces, sed ut hæreditas, non ut debitum, sed ut donum gratuitum. Ita enim Paulus de ipso scribit; si ex lege hæreditas, jam non ex promissione, Abrahamæ vero Deus per promissionem gratuito donavit *Gal. 3. 18.*

XXIV.

Sexta classis ea adducit loca, quibus mentio fit dignitatis, ut: *Sap. 3. Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se.* Item *2. Thessal. 1. ut digni habeamini regno Dei, pro quo patimini.* *Apoc. 3. ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. &c.* Supra autem diximus, quod dignitas illa non semper sit debita, sed sæpe numero gratuita, & ratione ordinis sequens aliquid ex alia causa oriundum. Ita Deus eos, qui in tentationibus perseverarunt, invenit dignos se, non quod bono suo certamine dignitatem illam fuerint promeriti (nulla enim proportio inter Deum & sanctissimos quosque) sed quia conveniens est & decet, eos qui legitimè certarunt, coronam accipere. Idem esto iudicium de cæteris exemplis. Aliàs cum de dignitate meriti quæritur, sancti coram throno Dei simpliciter dignitatem illam à se removent, & ad sedentem in throno Dei devoluunt: *Tu es dignus, inquit, accipere gloriam &c.* Et Apostoli locus illustris est *Rom. 8. non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam.*

XXV.

Ad quem postremum locum Pauli respondet Bellarminus loqui apostolum de substantia operum, non de proportione absolutâ. Nam *passiones hujus temporis breves esse, ad gloriam illam æternam, & tamen proportionem esse inter has passiones, & illam gloriam propter caritatis dignitatem, unde procedunt.* Sicut Christi passio multo brevior fuit pœnis damnatorum sempiternis, & tamen propter dignitatem personæ patientis dignissima fuit, quæ pro illis pœnis satisfaceret, &c. Respon. Petitum hoc est *ἡμετέρας* ex Scholasticis, sed 1. benè est, quod concedunt, quoad substantiam operis nullam inter ipsam & vitam æternam intervenire proportionem: unde sequitur, quod opera quoad substantiam non sint meritoria vitæ æternæ. 2. Falsum est, quod opera ex caritate fiant meritoria. Nam illa ipsa caritas jam antè debita

debita est Rom. 13. nihil debeatis, quam ut invicem diligatis: debitum autem non potest fieri meritum; & præterea valde imperfecta est, ob inhabitans peccatum etiam in sanctis. Rom. 7. Longè alia ratio est Christi, cujus passio quanquam finiti temporis, infinitam tamen tollere potuit pœnam. 1. Quia filij Dei fuit passio. 2. Quia ex caritate erga nos undiquaq; perfecta profecta. Passiones vero nostræ & in hominibus sunt, & ex imperfecta caritate prodeunt: ergo ad infinitum meritum nullam proportionem habent.

XXVI.

Sed, ait Bellarminus, Paulus 2. Cor. 4. scribit, passiones hujus temporis momentaneas & leves esse, si conferantur ad pondus æternæ gloriæ, & tamen has ipsas passiones operari æternum pondus gloriæ, operari autem non Physicè, seu effectivè, sed moraliter seu meritorie. Verum enim vero impingit in primum scopulum. Nam verbum operari neq; efficientem, neq; meritoriam causam salutis nostræ notat, sed ordinem, quo Deus salutem nostram promovet nimirum per tribulationes multas, quâ de re etiam supra, disput. de Necessit. bonorum operum th. 178.

XXVII.

Septima classis eorum est dictorum, ubi dicitur Deus iudex justus, & non acceptor personarum, ut Rom. 2. *non est acceptio personarum apud DEUM.* Gal. 2. *Deus personas non accipit &c.* At acceptio personarum est vitium contrarium justitiæ distributiæ, cum videlicet Deus dat præmium sine meritis. Ergo Deus in retributione præmiorum merita hominum considerat. Resp. Deus personas non accipere dicitur, quia nemini injuriam facit, licet omnium misereatur, & non nisi propter Christum benefaciat, sine ullo respectu ad ipsorum merita. Nam non simpliciter præmia dat sine meritis, sed tantum sine meritis hominum. Distribuit autem præmia sua secundum merita Christi, quæ nostra fiunt per fidem: quæ quocumque in homine reperiat, ibi locum habet præmium divinum. Et sic nihil concludit argumentum.

XXIX.

Quæ ad finem hujus capituli ex Augustini epist. 46. afferuntur: *Si non sunt merita, quomodo judicabit Deus hunc mundum: ex quo suo*

suo more infert, adversariorum hæresin, ut ipse quidem vocat, quæ tollit merita, tollere simul articulum de judicio futuro: trita quidem est objectio, & triaria calumnia, sed, quæ ingeniū adversariorū prodit, docetq; quomodo citare soleant Patres. Nam locus Augustini integer ita habet, tom 2. pag. 104. *Nec quisquam dicat, meritis operum suorum, vel meritis orationum suarum, vel meritis fidei sue sibi traditam Dei gratiam, ut putetur verum esse, quod ILLI HÆRETICI dicunt, gratiam DEI secundum merita nostra dari, QVOD FALSISSIMUM EST, non quia nullum est meritum vel bonum piorum, vel malum impiorum, aliquando, quomodo judicabit DEUS mundum? Sed misericordia & gratia DEI convertit hominem, de quâ Psalmus dicit, Deus meus misericordia ejus preveniet me, ut justificet, et impius, hoc est, ex impio fiat justus, & incipiat habere meritum bonum, quod DEUS coronabit, quando judicabitur mundus, &c.*

XXIX.

Tria hinc doce Augustinus. 1. damnat dogma Papisticum, de operum meritis, ut hæreticum. 2. vocem meriti κατὰ χρεστικῶς accipit, pro quovis opere, quod compensatur, sive ex debito, ut malum, sive ex gratia, ut bonum. 3. justificationem impii in solidum gratiæ & misericordiæ Dei fert acceptam. Quod autem addit, si nullum esset meritum, quomodo Deus judicabit mundum? respicit ad visibilem actum extremi judicii, ubi cuilibet secundum testimonium bonorum operum dabitur, vel vita fidelibus, vel mors fidem non habentibus. Calumnia ergo est nos negare extremum judicium, dum merita operum propriè dicta non agnoscimus; cum Augustinus eos potius hæreticis annumeret, qui meritum operum propriè dictum jactant, idcirco soli gratiæ Dei, quæ in articulo justificationis meritis operum opposita est, justitiam nostram adscribit.

CAPUT IV.

De autoritate Patrum, quâ Bellarminus hac in questione utitur.

Contra 4. caput lib. 5. Bellarm.

Q

XXX. Mul.

XXX.

Multus est Bellarminus in allegandis patrum sententiis, in hac quaestione: qui tamen autoritate sua humana veritati divina, quæ jam satis superque adstructa est, nihil præjudicare potest. Scimus Patres nondum litigantibus hæreticos interdum securius locutos, ut *August. lib. 1. contra Julian. fatetur*, ipsique non omnium dicta simpliciter recipienda, sed juxta analogiam fidei explicanda statuerunt, sicut Augustinus scribit de nat. & grat. cap. 61. *Ego in hujusmodi quorumlibet hominum scriptis liber, quia solis canonicis debeo sine ulla recusatione consensum.* Neque dubitandum est, Patres, si admoniti fuissent, multa vel durius vel periculosius dicta libenter correcturos fuisse: multa enim declamatorio modo & stylo oratorio dixerunt, quæ in disputationibus seriis non concessissent. Nota autem est sententia Theodoretus Dial. 3. *Quæ in Ecclesia panegyricè & declamatorie dicuntur, non constituunt dogmatum regulam.* Neque diffiteri potest Bellarminus, Patres, cum ad populum verba facerent, dixisse ea, quæ utiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera, *lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 14.*

XXXI.

Merita vocant opera, non ex justitia, vel ex condigno, sed ex gratia meritoria, hoc est, gratuitam retributionem consecuta. Ita Bernhardus scribit, *merita habere cures, habita data noveris: pernitiosa paupertas penuria meritorum.* Ubi per merita intelligit opera, quæ Deus ex mera gratia præmiis compensat. Alibi enim scribit, merita nihil esse ad tantam gloriam vitæ æternæ, & Deum, nemini jure debere vitam æternam *serm. 1. de nativ. Mariae.* Et August. epist. 105. dicit esse merita justorum, quia justus sunt, hoc est, bona opera, quæ Spiritus S. in ipsis operatur, & in non renatis non reperiuntur.

XXXII.

Canisius quoque in *lib. 2. de virg. deiparâ cap. 16.* fatetur, sanctos patres, præsertim latinos, meriti vocem laxius usurpare: & Stapletonus *ser. 5. post. pass. dom.* *Si aliquis veterum vocabulo promerendi usus est, non aliter intellexit, quam consecutionem de facto.*

XXXIII.

XXXIII.

Mercedis voce utuntur pro compensatione gratitudi-
 ta, ut supra monuimus; eoque sensu nos quoque voces istas
 non reiicimus. Operibus interdum tribuant, quod fidei est, eò
 quod fides absq; operibus mortua est, & absq; operibus in justifi-
 catione non consideratur, licet absq; operibus iustificet: quo sen-
 su Basilius scripsit: homo ex operibus iustitiæ salvatur; hoc est,
 ex fide viva, qui sensus necessariò huic dicto tribuendus, aliàs Ba-
 silius sibi ipsi esset contrarius, qui in Psal. 114. scribit: *manet sempiterna requies illis, qui in hac vitâ legitime certarunt, non ob eorum merita factorum, sed secundum debitum magnificentissimi DEI.* Sic dicunt interdum, *deberi* vitam æternam bonis operibus: sed non ut meritum, verum ut gratuitum promissum. Perpetua itaq; ambiguitas est in vocabulis, *Meritum, Promereri, Debitum, Merces,* quemadmodum supra quoque exposuimus, quâ observata, facilis est ad dicta patrum responsio.

XXXIV.

Nihil dicam quod Bellarminus in istâ allegatione crimen falsi interdum committat: ut cum Ignatius in loco allegato ex epist. ad Rom. græcè dicat, se per bestiarum escam *ἐὺθυχεῖν* Deum adipisci, Bellarminus reddit, Deum promereri; quod non est candidi interpretis; nam DEUM adipiscuntur, qui per dolores mortis ad ipsam veniunt in regnum beatum.

XXXV.

Præterea notum est, Patres non rarò à seipsis dissentire: sicut in hac ipsâ questione difficile non est, allegatis à Bellarmino dictis Patrum, alias opponere eorundem Patrum sententias, quibus omne meritum operibus hominum derogant. Ignatium primò locò affert Bellarminus, sed non sine crimine falsi, ut paulò ante notavimus. Is vero in eadem epistola ad Roman. scribit, se à Syriâ Romam usq; terra, marique cum bestiis depugnare, noctu diuque alligatum decem leopardis: verum *in hoc iustificatum non esse.* Iustinus nihil habet de merito operum sed credentes tantùm describit, qui confessione Christianam consequuntur, & factis ipsis probant, se Deum consecrari, & vitæ ejus consuetudinem adamaré. Et in dial. cum Tryphone scribit, neminem citrà spem in Deum salutem expectare. Irenæus libr. 3. cap. 22. scribit: non à nobis,

sed à Deo esse bonum salutis nostræ. *Origen.* lib. 4. in cap. 4. ad Roman. Ego, inquit, cum confidero sermonis eminentiam, quod dicit operanti debitum reddi, vix mihi svadeo, quod possit ullum opus esse, quod ex debito remunerationem Dei deposcat, cum etiam hoc ipsum, cum agere aliquid possumus, vel cogitare, vel proloqui, ipsius dono & largitione faciamus: *Quod ergo erit debitum illius, cujus gratia nos præcessit?* *Basilii* super Psal. 114. Manet requies sempiterna illos, qui in hac vitâ legitime certaverint, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimi DEI gratiam, in quo speraverunt, exhibita. *Chrysostomus* in cap. 1. Rom. hom. 2. Non sudoribus & laboribus vitam æternam comparabis, sed ex divino gratiæ dono, quod ex supernis est, gratis ut accipias oportet, unum hoc solum de tuo afferens, ut credas, &c. *Nazianz.* orat. 40. in S. Baptis: Si servus es, inquit, plagas metue: Si mercenarius, mercedem duntaxat specta: sin autem supra hos assurgis, ac filius es, ut patrem verere, ac bonis operibus stude, quia bonum est patri obtemperare, etiam si ex eâ re nihil quæstus ad te redditurum sit. *Hilarius* in Psal. 51. Spes in misericordia DEI in seculum & in seculum seculi est. Non enim ipsa illa justitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum denumerationum & motuum vitia non reputet. *Ambrosii* lib. 9. epist. 71. scribit: neminem gloriari debere in operibus, quia nemo factis suis iustificetur, sed qui justus est, donatum habet, quia per lavacrum iustificatus est. Fides ergo est, quæ liberat per sanguinem Christi, quia beatus ille, cui peccatum remittitur, & venia donatur. *Hieronym.* in cap. 5. Rom. Nemo suo merito, sed omnes æqualiter Dei gratiâ sunt salvati. *Agustini* quam plurima sunt dicta in hanc sententiam; sufficit hîc unum illud quod ad Bonifacium scribit, libr. 1. cap. 21. Quantalibet virtute præditos antiquos prædices, non eos salvos fecit, nisi fides salvatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem suum fudit. *Prosser* libro primo, de vocat. gentium capit. 5. scribit: Vilesceret redemptio sanguinis nec misericordia Dei humanorum operum prærogativa succumberet, si justificatio, quæ fit per gratiam, meritis præcedentibus deberetur, ut non minus largientis, sed merces esset operantis: Et paulò post
similitudine

similitudine de vinea, declaratur, quod omnes eandem accipiant mercedem, sive parum sive multum laboraverint *Gregorii Magni* dictum est homil. 7. in Ezech. non in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus: & lib. 9. moral. cap. 14. si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex veniâ convalesco. *Bernhardus* serm. 1. de oratione scribit: Non talia sunt hominum merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam alicui faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt, & ita homo magis propter ista Deo debitor est, quam Deus homini, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? *Papæ Cælestini*, & Conciliorum Papalium, tanquam testium in propriâ causa, testimonia non curamus, aliorumque Pontificiorum sententias, quibus omne meritum operibus hominum derogatur, solique misericordiæ Dei adscribitur, facile opponere possemus, si opus esset, cui labori hoc in loco, ubi brevitati studemus, parcendum esse judicamus.

XXXVI.

Sub finem hujus capituli ratione quadam, quam vocat evidentem, probare conatur *Bellarminus*, opera bona justorum, esse verè meritoria, quia nimirum sunt verè justa, satisfaciunt legi, justificant hominem. Ad quæ paucis respondeo, verè sunt justa, quia à Spiritu S. profecta, & fructus fidei sunt, Deoque placent, quia persona placet, unde & justitiæ vocantur, *Esa. 64, 6. Philip. 3, 9.* non autem satisfaciunt legi, quia imperfecta, unde immundæ justitiæ vocantur, *Es. 64, 6.* & antè debita opera *Luc. 17, 10.* propterea etiam non justificant coram Deo, sed fructus sunt justificationis: unde sequi dicuntur justificatū, non præcedere justificationē; qua de re prolixè egimus in disputatione præcedēte, quæ est de Impletione legis. Calumnia autem trita, quam coronidis loco huic capiti at-
texuit *Bellarmin.* quasi dicamus omnia nostra opera esse peccata mortalia ex naturâ suâ, sæpius jam in utraquaque disputatione præcedente profligata fuit. Non enim bona opera ex naturâ suâ, sunt peccata mortalia, sed propter adhærentem immunditiem, de quâ conqueruntur sancti, *Esa. 64, 6. Proverb. 20, 9. Ecclesiast. 7, 21. Job. 9, 3.* &c. peccato contaminata sunt, atque hinc indigna, quæ in conspectum Dei prodeant, inepta, quæ in judicio ejus

consistant, nisi impunitas ista propter Christum ex gratia tegatur
unde Bernhardus, *etiam Mariam non pretendisse meritum scribit, sed
gratiam quesuisse, in serm. de nativitate Mariæ.*

CAPUT V.

Contra cap. 5.
lib. 5. Bellarmini.

*De argumentis nostris, contra operum meri-
tum, cum responsionibus ad exceptio-
nes Bellarmini.*

XXXVII.

Dogma Pontificium de meritis operum rectè refutatur iis-
dem argumentis, quæ contra justitiam bonorum operum adfe-
runtur, de quibus superiore disputatione egimus, ut, quod gratia
& opera semper opponuntur in articulo justificationis, ubi opera
perpetuò excluduntur à gratia Dei, Rom. 11, 6. 2. Tim. 1, 9. Tit. 3, 5. à me-
rito Christi Esa. 63, 3. Ioh. 1, 29. à fide Rom. 3, 28. Gal. 2, 16. ab electione
eterna Rom. 9, 12. 2. Tim. 1, 9. à vocatione ad vitam eternam 2. Tim. 1, 9.
quod justitia operum pugnat cum perfectissima Christi obedi-
entia, Gal. 2, 21. quod vita æterna vocatur hæreditas sanctorum,
Matth. 25. & merces hæreditatis, Col. 3, 24. quod justificatio nostra
consistit in remissione peccatorum, Psal. 32, 1. Roman. 4, 2. quod ne
quidem temporalia Dei beneficia nostris debentur laboribus, sed
soli misericordiae Dei adscribenda, Gen. 32, 10. quodque ne quidem
sæcæ, dum hæreditatem vitæ æternæ possident, se quidquam fe-
cisse agnoscunt, quod ipsos tanto beneficio faciat dignos, Matth.
25, 37. Quæ omnia sufficientissimè docent, merita nostrorum o-
perum esse nulla. Sed his præteritis, Bellarminus ea saltem attin-
git argumenta nostrorum Theologorum, in quibus contra meri-
ta propriè pugnatur: ad quæ exceptiones suas affert, quas exami-
nare operæ pretium est.

XXXIX.

Prima argumentorum classis ex illis scripturis petitur, quæ
gloriam æternam & beatitudinem cœlestem adscribunt miseri-
cordiæ Dei, non justitiæ, unde inferitur, eam non reddi propter
merita,

merita, sed gratis dari: ut cum in *Psal. 103, 4.* dicitur: qui coronat te misericordia & miserationibus: item *Matth. 5, 7.* beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequuntur, & *Iac. 2, 13.* iudiciū sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam. Hęc loca affert Bellarminus, & dupliciter respondet: 1. quod beatitudo tribuatur misericordiae, non quia non sit vera merces meriti, sed quia merita ipsa ex misericordia data sunt. 2. quod in ipsa coronatione, quae merces est meriti, sit etiam misericordia necessaria, quae peccata venialia remittit, sine quibus nulli vivunt, & pauci vitam hanc finiunt: & addit: ipsam misericordiam debitum esse bonis meritis sanctorum, & in iudicio non tam donari, quam reddi, ut dici possit, *iusta misericordia, quoniam iusto iudicio redditur.*

XXXIX.

Verum in prima responsione committitur petitio principii. Nondum enim probarunt Pontificii quod Deus nobis pro sua misericordia gratiam aliquid merendi dederit. Contrarium potius inde liquet, quod misericordia Dei & meritum nostrum in articulo justificationis è diametro opponuntur: gratia estis salvati, inquit Paulus, per fidem; non ex operibus; ne quis gloriatur, *Eph. 2, 8.* opponitur etiam meritum nostrum, merito Christi: nam si ex lege est iustitia, frustra Christus mortuus est, *Galat. 2, 21.* Non ergo potuit Dei misericordia operibus nostris vim merendi salutem, & vitam æternam largiri, nisi fructum meriti Christi evacuare voluerit. Misericordia Dei miseretur miserorum, non mediantibus ipsorum meritis, sed solo merito Christi. Relinquitur ergo beatitudo solius misericordiae divinae beneficium, non a. operum nostrorum meritum: nam, ut Paulus loquitur: Si ex gratia, non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia, *Rom. 11, 6.*

XL.

Neq; ullius est momenti, quod ex Augustino affertur: *ipsi iustitiae vitam æternam esse mercedem, non gratiam: ipsi a. homini esse gratiā non mercedem.* Non enim agitur hīc de justificatione iustitiae, sed hominis. Iustitiam seu bonū opus hominis, utiq; approbat Deus, quia legi suae conformis est: hominem a. propter illam iustitiam non approbat, quia magna ei adhuc adhæret imperfectio, & impuritas, quae iustitiam illam contaminat, & nisi ea tegetetur perfe-

perfectâ, purissimâque Christi justitiâ, nunquam homo posset placere Deo etiam justissimus: idcirco dicitur justitia hominis placere Deo propter hominem per Christum cum Deo reconciliatum, non autem homo propter suam justitiam: quemadmodum Deus primum dicitur respexisse Abelem & postea sacrificium ejus, Gen. 4. 4.

XLI.

Augustinum quod attinet, is cum vitam æternam mercedem justitiæ nominat, non justitiam operum, sed fidei intelligit, cui vitam æternam propter Christi meritum, quod fides apprehendit, deberi non negamus. Ita enim scribit epist. 105. *Cum dixisset (Apostolus Rom. 6.) stipendium peccati mors, quis non congruentissime & consequenter addere judicaret, stipendium autem justitiæ vita æterna? Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Jam addit: *ut si nollet dicere justitiæ, diceret fidei, quoniam justus ex fide vivit.* Semper etiam in eadem epistola urget, Paulum ideo non dicere stipendium justitiæ, sed donum Dei est vita æterna, ne humana superbia se extollere disponat: quæ superbia etiam in iis operibus, quæ ex misericordia Dei in nobis fiunt, locum obtineret, quam primum opinio meriti accederet: nam & illa opera sunt nostra opera, in quibus Spiritui S. ex auxilio ejus cooperamur, 2. Cor. 6. 1. Et hæc ad responsionem Bellarmini primam.

XLII.

In secundâ tripliciter impingit: 1. Sibi ipsi contradicit. Supra enim. libr. 4. cap. 14. de justis scripsit, peccata venialia esse non simpliciter peccata, sed imperfectè, neque contra legem, sed præter legem: hic v. dicit, *misericiordiâ Dei peccata venialia remitti.* Si remissione opus habent, sunt utique propriè sic dicta peccata & transgressiones legis pœnamque merentur: ideo misericordiâ opus est, qua tegantur, ne ad pœnam videantur, ut August. in enarrat. Psal. 32. loquitur. 2. Vitiosè argumentatur ab inclusiva ad exclusivam, hoc pacto: *misericiordia est necessaria propter venialia peccata: ergo non est necessaria, ut justificatio nostra mere sit gratuita.* Nam ad utrumq; necessariâ dicim⁹: quia in gratuita remissione peccatorū
omnium

omnium justificatio nostra consistit: ubi autem remissio peccatorum est, ibi non est merces operum, seu ubi misericordia Dei, ibi non est justitia nostra, quia gratia & opera ut & justitia nostra & miseratio Dei in justificatione nostri directè opponuntur *Rom. 11, 6. Dan. 9, 18.* 3. Misericordiam debitam esse bonis meritis, *κρινόμενον* est, nec ulla litera in Bellarmino probatur, illa vero directè oppositione gratiæ & operum refutatur: & quomodo illud debitum esse potest, quod omni modo est gratuitum? qualis est misericordia Dei. *σιδηρόξυλον* dicit Bellarminus, & contrarium in adjecto, cum justam Dei misericordiam vocat, quâ utatur in judicio. Sancti nolunt justam Dei misericordiam, sed à justitia provocant ad misericordiam, cum nemo sit, qui hoc mereri possit, ut Deus sui misereatur. Ita orat David *Psal. 143, 7. 8. Non intres in judicium cum servo tuo*, hoc est deprecari justitiam, seu strictum jus: *audiam fac mihi manè misericordiam tuam, hoc est, Ἰπείκειαν* judicis desiderare. Quod autem addit, misericordiam non tam donari, quam reddi, ad illud supra respondimus *cap. 3. th. 22.*

XLIII.

Relinquitur ergo firmissimum, quod meritum operum nostrorum nullum sit, quia scriptura soli misericordiæ Dei justitiam, & vitam æternam adscribit. Unde est illud Micheæ *cap. 7, 18. Quis Deus similis tibi, qui auferis iniquitatem, & remittis peccata reliquiis hereditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est: & Danielis cap. 9, 9. Tibi Domino Deo nostro misericordia & propitiatio, quia recessimus à te &c. & Davidis, *Psal. 130, 7. Apud Dominum misericordia & copiosa apud ipsum redemptio, &c.**

XLIV.

Secunda nostrorum argumentorum classis depromta est ex scripturis illis, quæ à justificatione & salute æternâ opera nostra prorsus removent. Si enim nihil ibi eis negotij, quomodo rationem meriti vel mercedis habere possunt? Bellarminus duo hanc ad rem affert scripturæ dicta, sed satis trepidanter: ait enim ea objici posse. Primum extat *Esa. 55, 1. Venite, emite absq; argento, & absq; ulla commutatione vinum & lac.* Alterum *Dan. 9, 8. Non in justificationibus nostris prosternimus preces nostras, sed in miserationibus tuis magnis.* Ad quæ respondet; loca hæc ad rem non facere. Nam

D

apud

apud Esaiam vinum & lac non gloriam sempiternam, sed gratiam temporis hujus significare: Daniele vero non coronam, sed liberationem a captivitate petere.

XLV.

Respon. In hac classe ad probationem instituti nostri pertinent etiam illa dicta, quibus dicitur; nos justificari sine operibus legis Rom. 3, 28. *ei qui non operatur credenti a. in eum, qui justificat impium reputari fidem ad justitiam*, Rom. 4, 5. *justificationem nostri impossibilem fuisse legi*. Rom. 8, 9. *nos non ex operibus salvatos, ne quis gloriatur* Eph. 2, 8. *in iudicio Dei non consistere nostram justitiam, quæ ex lege est* Phil. 3, 9. In quibus omnibus ex foro justificationis omne meritum operum nostrorum directe excluditur. Huc etiam pertinet locus Elaiæ cap. 52, 3. *Gratis venundati estis, & sine argento redimimini*. De quo loco ita scribit Augustinus tract. 41. in Iohan. Ad Christum omnes fugiamus contra peccatum Deum liberatorem interpellemus, venales nos petamus, ut ejus sanguine redimamur. Dicit enim Dominus: *gratis venundati estis, & sine argento redimini: sine pretio, sed vestro, quia meo*. Hoc Dominus dicit, ipse enim pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum. Nam nos & servi & egeni remanseramus. Quod autem dicta à Bellarmino laudata attinet, ea sanè multum ad rem faciunt. Nam Esaias l. d. de rebus conscientiae agit, hoc est, de apprehensione beneficiorum Christi, quæ sub finem præcedentis capituli, hæreditatem & justitiam servorum Domini vocaverat. Hanc hæreditatem in Evangelio proponit Messias, quam propter summam suavitatem & sanitatem lacti & vino comparat, & ad eam sub imagine suavissimi convivij invitatur, quemadmodum & alibi fit, ut Prov. 9, 1. Iob. 6, 32. seqq. Apoc. 21, 6: 22, 17. Ad hoc convivium pertinent qui esuriunt & sitiunt justitiam Matth. 5, 6. quibus promittitur cibus & potus plane gratuitus, quem nullo vel pretio vel labore comparare possint: nam *pretium* excluditur, cum, qui non habent argentum, venire jubentur, *labor* vero, cum expressè additur; *quare appenditis laborem vestrum?* Ubi sanè omne id, quod ex nostra parte vel mercedis vel meriti speciem habere potest, à perceptione beneficiorum Messiae eximentum est. Ad beneficia vero ista pertinet quoque gloria vitæ æternæ, cujus gustum hîc percipimus; plenam perfruitionem

tionem possessuri in altero seculo. Quia & pax conscientiae, quam hinc per Christum percipimus, initium est & q. gustus vitae aeternae. Nulla autem dari potest ratio, cur gratia hujus quidem temporis sit gratuita, gloria vero sempiterna meritoria: cum haec omnia ex uno, eodemq; fonte fluant.

XLVI.

Danielem pro liberatione populi captivi d. l. orare, non negamus, sed quia peccata simul, propter quae eò devenerant, deprecatur vers. 16. locus ille multum ad rem facit: Ea enim ratione remissionem peccatorum petit. Cum autem in remissione peccatorum justitia, salus & vita aeterna consistat Psal. 32. & verò Daniel remissionem peccatorum non propter justificationes suas, sed propter miserationem DEI magnam peccat, manifestum est, quod meritum propriarum justificationum, à justitiae quoque salutis & vitae aeternae consecutione excludat.

XLVII.

Tertiae classis nostrorum argumentorum petitur ex iis scripturae dictis, quae nos debitores mandatorum Dei faciunt: certum enim est, debitum non posse esse meritum: nemo enim iis, ad quae obligatus est superiori, mereri quidquam potest. Huc pertinet illud Christi Lucae 17, 10. *Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus:* & Pauli Rom. 8, 12. *debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus &c.* & cap. 13, 8. *neminiquidquam debeatis, quam ut invicem diligatis.*

XLIX.

Ad dictum Christi respondens Bellarminus varias affectu Patrum expositiones, quas omnes vocat egregias. Primum ait, *nos se nobis inutiles esse, ad implenda ea quae Dominus precepit, per Dei tamen gratiam utiles nos effici:* & sic Amhrosium exponere scribit libr. 8. in Lucam, ubi dicit: *exponenda est gratia, sed non ignoranda natura.* At vero Ambrosius l. d. Bellarmino prorsus est contrarius. Nam ex dicto Salvatoris infert, neminem in operib. gloriari debere, quia jure Domino debemus obsequium: & addit: *Si tu non solum, non dicis servo tuo, recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium, & gratias ei non agis, ita nec in te patitur Dominus*

unius usum esse operis aut laboris, quia dum vivimus, debemus semper operari. Ergo agnosce te esse servum; plurimis obsequiis defeneratum: non te preferas, quia filius Dei diceris: agnoscenda gratia, sed non ignoranda natura: neque te jactes, si bene servisti, quod facere debuisti: Postea adfert exemplum Pauli ostendentis nullius se esse conscium culpæ, sed non in hoc justificatum. Vides Ambrosium omne tollere meritum operum, dum nos Dei facit debitores: & nos agnoscere debere gratiam, non in merendo, sed in eo, quod sumus filij Dei; non autem ignorare naturam, quod sumus Dei servi atque debitores. Alias non negamus, nos ex nobis inutiles esse, utiles autem ex Deo: sed utiles non ad promerendum vitam æternam, hoc enim nusquam dicitur, sed ad obediendum præceptis ejus, licet magnâ cum infirmitate, ita ut & sancti dicere teneantur; *delicta quis intelligit? ab occultis munda me Domine Psalm. 19.* Et hoc sensu emundati dicuntur vas utile Domino, ad omne opus bonum paratum: id quod nihil facit ad meritum operum, de quo hîc unicè est sermo.

XLIX.

Deinde ex Beda adfert, nos nihil utilitatis adferre DEO, cui cum humilitate servire debemus, & gratias agere, quod obsequium nostrum acceptare voluerit. Quod ut libenter admittimus, modo non opponatur humilitas veritatis ita non videmus, quomodo operum meritum probare possit: imò si esset tale meritum, esset utique quod gloriarentur operarij, & superbirent coram Deo. Verissimum enim est, quod opinio meriti homines efflatos reddat, qui non contenti misericordiâ Dei, Deo licet invito opellas suas loco meriti obtrudunt: quemadmodum nota est superba vox impudentissimi illius Monachi Carthusiani, qui in agone mortis constitutus, meritis suis nimium confidebat, Deumque satis insolenter ita alloquebatur: *Da mihi, quod ego meritus sum, & tu mihi debes:* rogantibus illis, qui astabant, quodnam illud sit debitum: arroganter respondit: vitam æternam mihi debet, propter opera mea: nam ultra 40. annos in hoc monasterio Deo servij, cilicio asperrimo indutus, jejuniis, vigiliis & precibus me affixi; sive nolit, sive velit Deus, mercedem meritis meis rependere, & vitam æternam reddere tenetur. Hoc scilicet est cum humilitate Deo servire.

L.
Tertio, Augustini sententiam libenter recipimus, quod etiam,
sunt omnia divina mandata servavimus, servi inutiles dicimur, quoniam
nihil facimus ultra id, quod debemus, & nihil inde justæ mercedis petere
possumus. Annon vero hoc omne evertit operum meritum? vel
si existimat Bellarminus, hominem etiam non divinitus præce-
pta, sed ab hominibus imperata facientem, servum utilem dici
posse (sicuti revera existimat) nã insignis hypocrita est, qui ob-
servationi præceptorum humanorum plus tribuit quam divino-
rum, more majorum suorum, Phariseorum, de quibus Christus
gravissimè pronunciat, quod mandata Dei transgrediantur pro-
pter traditionem suam. *Matth. 15, 3.*

L I.
Coeterum quod ex gratuito pacto, quod nobiscum facere
Deus dignatus est, cum Apostolo dicere possimus, reposita est
mihi corona justitiæ, quam reddet mihi in illa die justus iudex: id
nos non negamus. Fatemur enim Deum promississe obedienti-
bus vitam æternam, & sic ratione gratuiti sui promissi ipsis debi-
torem factum. Sed neq; hoc quidquam ad operum meritum.
Nam obedientia illa, sub cujus conditione est promissa, non est
meritoria, quia aliòquin debita, sed tantum necessarium requisi-
tum eorum, quibus Deus vitam æternam dare promissit: non pro-
pter illam obedientiam propriam, sed propter obedientiam filii
sui, quæ sola inobedienciæ Adami in iudicio Dei opponitur *Rom.*
5, 19. Et hoc ipso, quod pactum illud Dei seu promissio ejus est gra-
uita, evincitur, quod obedientia, quam in fidelibus requirit, non
fit meritoria. Dependet ergo vita æterna non ab obedientia ho-
minum tanquam merito, sed ex gratuito Dei promisso: quemad-
modum Adamo ante lapsum vita æterna expectanda erat, si de
prohibita arbore non ederet, quæ tamen ex alio principio, creati-
onis nimirum dependebat, quia fieri non potest, ut Deo rebelles
vitam æternam inhabitent.

L II.
Quarto sententiam Chryostomi adfert, qui existimat Chri-
stum velle nos de nobis post benefacta humiliter sentire, ne superbia corrup-
pat opera bona, que fecimus: quam sententiam præ cæteris amplecti-

tur Bellarminus libr. 3. de justif. cap. 9. Nihil autem ea contra nos, multum autem contra meritum operum, cum quo vera humilitas consistere nullo modo potest. Sed quid opus est patrum testimoniis? Contextus docet, Salvatorem simpliciter negare, Deum homini debere quidquam, sed ex mera gratia benefacere iis etiam, qui fecerunt omnia, unde sponte sequitur humilitas & prostratio omnium opellarum coram throno Dei. Id enim præcedens similitudo docet. Nam quemadmodum Paterfamilias servo suo cœnam paranti & omnia ordine administrati nullam habet gratiam: fecerat n. ea, ad quæ erat obligatus; ita Deus etiam perfectissimè laborantibus, nullo jure est obstrictus: fecerunt n. quæ præcepta erant.

LIII.

Quod autem Bellarminus addit: absolutè inutiles non esse, qui benè operantur, libenter admittimus. Distinguendum autè est inter utilitatem facti & meriti. Qui faciunt omnia quæ præcepta sunt à Deo, non sunt inutiles, utilitate facti: quia faciunt, quæ ex mera gratia in eis coronare solet. Sunt autem inutiles utilitate meriti: nam qui opinione meriti benè operantur, in iudicio Dei omnium sunt inutilissimi, adeo ut etiam publicani & meretrices eis præferantur in regno Dei Matth. 21, 31. eamq; ob causam Deus sacrificia, licet à seipso instituta, & in se factis utilia, rejecit ut inutilia, quando opinio meriti accedebat *Esa. 1, 11.* Quo sensu David dixit: Si voluisses sacrificium, dedissem utiq; holocaustis non delectaris: sacrificium Dei spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum non despicias: *Psal. 51, 18, 19.*

LIV.

Quantam classem nostrorum argumentorum suppeditant ea dicta, in quibus vita æterna appellatur donum Dei, ut, *Rom. 6, 23.* stipendium peccati mors, donum autem Dei vita æterna: & *Eph. 2, 8.* gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Quibus in dictis non tantum salus ut donum Dei meritis nostris opponitur, verum etiam expressè diversitas ostenditur, inter mortem & vitam æternam, quo ad causam efficientem: nam mors quidem adscribitur peccato, tanquam merito, vita vero æterna non operibus nostris, sed gratiæ divinæ.

L V. Bellar-

Bellarminus respondens ad locum Rom. 6. confugit ad tritum illud Pontificiorum, *quasi vita eterna dicatur donum Dei, non quod non sit merces meriti, sed quia ipsa merita habemus ex gratiâ*: ejusque opinionis patronum laudat Augustinum epist. 105. Resp. *нево-μevov* est, an gratia Dei opera nostra faciat meritoria, & an vita æterna ideo dicatur donum Dei, quia opera nostra, quibus eam mereamur, sunt ex Dei dono. Probare hoc debebat Bellarminus, non ita nudè ponere. Scriptura immediatè opponit gratiam Dei & opera in negotio justificationis nostræ, sine discrimine eorum operum, quæ ex libero arbitrio sunt, & quæ ex gratia Dei Rom. 11, 6. *Si ex gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia*: detrahit justitiam operibus legis simpliciter Rom. 3, 28. jam autem opera ex gratiâ Dei facta sunt opera legis: ergo & iis justitia, ac per consequens salus & vita æterna detrahatur. Unde Paulus ad Galatas, qui, notante Theodoro, ad minimum sexennium antequam hæc ad ipsos daretur epistola, scripsit: *Si per legem justitia gratis Christus mortuus est*, Gal. 2, 21. Et in genere scribit, omnem operum gloriationem non tantum eorum, quæ à renatis fiunt, sed omnium simpliciter, exclusam esse per legem fidei Rom. 3, 27. Ubi est gloriatio, inquit, exclusam esse per legem: factorum? non, sed per legem fidei. Quæ ratio adeo perstrinxit oculos Bellarmini, ut & textum Apostoli depravaret, nè admittere eam cogeretur. Ita enim legit: ubi est gloriatio T U A? & glossam suam addit, q. dixerit Paulus exclusam esse gloriationem, quæ oritur ex operibus, ex solis liberi arbitrii viribus profectis *lib. 1. de justis. cap. 19*. Sed vox illa T U A, non est in Textu græco, neque in veteri versione Hieronymi, cui tamen Bellarmin. ex decreto Concilii Tridentini adstrictus est: & certum est, fidem, per quam excluditur gloriatio, omnibus simpliciter operibus oppositam esse. Augustinum quod attinet, utitur is vocabulo gratiæ de dono renovationis, quam cum Pelagius, contra quem disputabat, humanis arbitrii viribus adscriberet, urfit Augustinus non tantum loco allegato, verum etiam *lib. de grat. & liber. arbit. cap. 8.* & alibi, operibus sanctorum, quæ gratia Dei fiant, dari vitam æternam. non

non tamen ut mercedem laborantibus, sed ut donum filiis obsequentibus. Aliàs Augustinus ipse ostendit, Paulum datâ operâ opposuisse stipendium & gratiam, ne ex vita æterna fiat meritum. Nam cum posset dicere (inquit lib. de grat. & liber. arbit. cap. 9.) & rectè dicere; stipendium autem justitiæ vita æterna, ut hinc intelligeremus, non meritis nostris Deum nos ad vitam æternam, sed pro suâ misericordiâ perducere. Rectius ergo cum Chrysoftomo dicimus homil. 12. super epist. ad Roman. vitam æternam ideo nominari gratiam Dei, *quia neq₃ debitum eorum fuit, neq₃ retributio, neq₃ remuneratio laborum.*

LVI.

Quinta classis argumentorum nostrorum est ex iis locis, quæ docent nullam esse proportionem inter opera nostra, ad vitam æternam, quomodo ergo illa hujus possunt esse merita? ut cum Paulus Rom. 8, 18. scribit: *Non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam: & 2. Cor. 4, 17. id quod in presenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quam ob causam non dicimur propter, sed per tribulationes ingredi in regnum cœlorum, *Actorum 14, 21.*

LVII.

In responsione remittit nos Bellarminus ad cap. 3. hujus libri arg. 6. ubi se hoc solvisse ait: sed quid solverit ibi, videat Lector supra in examine capituli tertij, & conjungat ea, quæ hac de re contra Pererium Jesuitam disputavimus in comment. epist. ad Roman. cap. 8. part. 2. quæst. 1. nolumus hîc actum agere.

LVIII.

Sextam classem constituit Bellarminus ex iis dictis, in quibus opponitur gratia & fides operibus, item justitia quæ ex lege est, justitiæ fidei, ut cum Paulus Phil. 3, 7. scribit: *Hæc omnia, quæ mihi erant lucra, propter Christum detrimentum feci, & arbitror, ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & ut inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed eam, quæ ex fide est Iesu Christi: item Eph. 2, 8. Gratia salvati estis per fidem, non ex operibus: & ad Titum 3, 5. non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam magnam misericordiam salvos nos fecit.*

LIX. Ad

LIX.

Ad quæ omnia regerit Bellarm. 1. *Apostolum loqui de salute incoata, quæ habetur in hac vitâ per gratiam justificationis, non de salute perfectâ, quæ reposita nobis est in cælis: illam gratis donari concedit, hanc haberi per merita contendit.* Desideramus autem hîc iterum fortem probationem, quod Deus ita salutem inchôatam & perfectam inter suam gratiam, nostraque opera partiatur: omnibusq; recte sentientibus expendendum relinquimus, an pium sit, & ex honore Dei, initium tantum salutis misericordiæ Dei, perfectionem vero meritis operum nostrorum tribuere. Hoccinè est humiliare se coram Deo, & gratias agere, quod obsequium nostrum acceptare voluerit, ut supra dixit? O hypocritæ! Ignoramus nos & ignorat scriptura ejusmodi partitionem salutis nostræ, cujus initium à gratia Dei, perfectio à meritis operum nostrorum pendeat; cur non vel uno apice res tanti momenti probatur? Totum salutis nostræ negotium in electione ad vitam; in vocatione ad Ecclesiam; in remissione peccatorum seu justificatione, in æternâ denique beatitudine consistit; quæ omnia in solidum scriptura derogat operibus, & gratiæ Dei adscribit: Electionem *Rom. 9, 12, 11, 5.* Eph. 1, 6. vocationem 2. *Tim. 1, 9.* remissionem peccatorum *Act. 13, 38.* justificationem *Rom. 3, 28.* beatitudinem denique æternam *Rom. 8, 24.* *Ephes. 2, 8.* *Tit. 3, 5.* quin & non tantum autor, sed & consummator fidei & salutis est Christus Iesus *Hebr. 12, 1.* Minimè ergo admittere possumus allegata dicta de inchôata salute tantum loqui.

LX.

Deinde *Apostolum de justitia & operibus fidem & gratiam Dei precedentibus loqui, eaque fidei & gratiæ opponi ait.* Sed vetus hæc cantilena est, cui semper opponimus 1. generalem oppositionem fidei & operû qualiumcunque in negotio salutis. Nam & de Abrahamo in medio cursu bonorû operum dicitur: non operanti sed credenti in eum, qui justificat impium, reputatum est ad justitiam *Rom. 4, 5.* & re-natorum quoque opera, quæ ex fide sunt, legis sunt opera, quia Deus non vult cultum electitium. Paulus autem expressè scribit, nullam datam esse legem, quæ possit vivificare *Gal. 3, 21.* unde firmissimè sequitur, non posse dari ulla opera legis, quæ vitam & salu-

E

salu-

salutem auferant: de quâ vide plura in comment. meo in epist. ad Roman. cap. 3. part. 2. quest. 3. 2. Nulla agnoscimus opera bona præcedentia fidem: nam ut Augustinus de fid. & bon. operibus cap. 14. loquitur; opera bona non præcedunt justificandum, sed præcedunt justificatum. Unde Bellarminus ipse infert lib. 1. de justif. cap. 21. ante fidem nihil fieri posse benè, ex fide enim incipere, quæcunque sunt bona. 3. Locis allegatis expressè agitur de operibus renatorum, quæ ex gratia Dei fiunt, contra quæ exceptio Bellarminiana nihil valet. Paulus certè Phil. 3. etiam illa opera, quæ jam tum renatus faciebat, vocabat detrimentum, respectu eminentis cognitionis Christi, quia non tantùm in præsentis loquitur, *omnia arbitror ut stercora*, nimirum, si opinio meriti accederet: verum etiam non vult suam habere justitiam, quæ ex lege est, sed eam quæ ex fide, hoc est, non vult inniti justitiæ operum, sed fidei, in iudicio Dei. Nam justitiam ex lege, vocat opera à renatis secundum legem accuratissimè facta, hanc opponit justitiæ, quæ est ex fide, hoc est, Christo verâ fide apprehenso. Sic ad Eph. 2. 8. agit Paulus de renatis, quos dicit esse conditos in Christo Iesu ad opera bona, quæ est descriptio renatorum: & tamen de his ait, quod non ex operibus salvi sint, sed dono Dei. In epistola ad Titum expressè de renatis agit, quia opponit eos, qui misericordiâ Dei salvati sunt, quò ad statum renascentiæ, statui suo corrupto, ut patet ex vers. 3. Erasmus aliquando, inquit, insipientes, increduli &c. Cum autem benignitas Dei apparuit, non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, &c.

LXI.

Sufficerent hæc ex ipsis visceribus textus depromta: vult autem Bellarminus, ut vel unum ex vetustate producamus, qui ea loca ita exposuisset. Producimus ergo Augustinum qui locum Ephe. 2. expressè de fidelibus exponit in *Enchir. ad Laurent. cap. 38.* & de vasis misericordiæ lib. de prædest. & grat. cap. 8. Ambrosius in comment. in illū locum ad Titum intelligit de Christianis fide renatis per Christum. Idem in comment. ad Philippenses expendit illud, quod Apostolus non tantum genus suum, circumcisionem, & cœtera quæ magnificiebant Pharisei, sed & omnia damna duxit

xit

xit & stercora, hoc est, legem & justitias ejus. Augustinus *lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 13.* de eodem loco scribit, Paulum de eadem lege loqui, secundum quam Zacharias & Elisabetha vixerunt inculpati. Ea vero non erat Phariseorum sed Dei, & justitiam, quæ ex illâ lege est, non tantum intelligit de operibus Pauli ante conversionem, sed & de ijs quæ jam renatus, & ut ipse loquitur, in Evangelio fecit. Ita n. scribit: *Tantum ergo longe est, ut propter illa verba Zachariam & Elisabeth, sine ullo peccato credamus perfectam habuisse justitiam., ut nec ipsum Apostolum ad ejusdem regule summitatem arbitremur fuisse perfectum, non solum in illâ legis justitiâ, quam similem istis habuit, quam inter damna & stercora deputat incomparatione eminentissimæ justitiæ, quæ in fide Christi est: verum etiam in ipso quoque Evangelio, ubi & tanti Apostolatus meruit principatum, quod dicere non auderem, nisi ei non credere nefas ducerem.* His adde Basil. in cap. 9. de humil. Bernh. serm. 50. in Cant. Oecumen. in cap. 3. Philip. &c.

LXII.

Habes hîc Bellarmine, quas petiisti Patrum expositiones locorum adductorum: habes in primis sententiam Augustini, quod Paulus etiam ea opera, quæ in Apostolatu fecit, arbitretur damna; habes etiam rationem, cur ita arbitretur, quia nimirum ea, non in se, sed respectu eminentissimæ justitiæ, quæ in fide Christi est, considerat, h. e. quatenus se Christo, qui nobis à Patre factus est justitia, in judicio Dei opponit. Minimè ergo justitiam Christianam simpliciter detrimenta & stercora dicenda censemus, sed eminentissimam justitiam: quando autem opinio meriti ad hanc justitiam ab homine additur, tunc ista eam mereri nomina audimus; quod ut cum Augustino loquar, dicere non auderemus, nisi tanto Apostolo nolle credere, nefas duceremus.

LXIII.

Septimam classem nostrorum argumentorum constituunt ea dicta, quibus in negotio salutis exclusa dicitur gloriatio: ideo enim exclusa est, quia meritum nostrum nullum est: si enim aliquid esset, utique materia gloriandi nobis reliqua esset, quemadmodum experientia testatur, meritorum patronos gloriari magis, quàm humiliari coram Deo. Huc pertinent dicta Pauli:

E 2

Excl-

Exclusa est gloriatio: per quam legem, non per legem operum, non, sed fidei Rom. 3, 27. & iterum: gratia salvati estis, &c. donum Dei est, non ex operibus, ne quis gloriatur Eph. 2, 9.

LXIV.

Respondet Bellarminus, exclusam esse gloriam eorum, qui in proprijs viribus gloriantur, non autem eorum, qui in Domino gloriantur, id est, qui justitiam & merita Deo juvante, habere se posse confidunt: alioquin non diceret Appstolus, qui gloriatur in Domino gloriatur, Merum autem hoc est *κρησθύετον*, quo se occultant, qui cedere nolunt veritati. Nam Apostolus ne verbulo quidem distinctionem illam innuit, sed simpliciter negat, aliquem ex operibus legis gloriam habere posse in Domino, ita ut & de Abrahamo jam renato, & ex impulsu Spiritus S. operante scribat: Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum Rom. 4, 2. & in genere omnes declinasse dicuntur & destitui gloria apud Deum Rom. 2, 23, à quo malo ne sanctissimi quiq; sunt exempti. Soli enim Deo relinquenda est ista gloria, quod vitam æternam donet ex gratia, etiam nil tale merentibus. Apparet autem hinc quoque fastus hypocritarum, qui se demittere nolunt coram Deo, cum quid benè fecerunt; sed gloriari, quod justitiam & merita habeant, ita enim loquitur Bellarminus: quem fastum hoc colore pingit, quod sit *gloriatio in Domino*, scilicet, qualis erat gloriatio illorum, contra quos Christus suam loquebatur parabolam qui nimirum confidobant in semetipsis, quod essent justii, Luc. 18.

LXV.

In bonis operibus non est glorian- dum.

Nos etsi scimus opera bona ex fide facta placere Deo, in eis tamen minimè gloriandum esse judicamus: quia 1. à Spiritu S. profecta, cui soli omnis debetur gloria. 2. valdè imperfecta sunt, & multis vitiis contaminata, ita ut omnes justitiæ nostræ comparentur panno menstruatæ Esa, 64, 6. 3. quia in sanctis quoque plura sunt peccata, quam virtutes, cum non sit homo justus in terris, qui non peccet Eccles. 7, 21. & nemo sua satis intelligat delicta Psal. 19, 13, 4. quia opera justorum etiam perfectissima jam antè sunt debita Luc. 17, 10. Quam ob causam in omnibus nos subnitamus Deo, dicentes cum Davide: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam Psal. 115, 1. Et hoc verè est gloriari in Domi-

Domino, de quo *Ierem. 9. 1. Cor. 1. 2. Cor. 10* dicitur, qui gloriatur in Domino gloriatur, cum quis in eo confidit, quod Deum habet propitium, à quo filii instar diligitur, ad vitam æternam eligitur, sanctificatur, & tandem aliquando glorificabitur. Qui hisce operum suorum merita immiscet, bonam partem gloriæ Dei præscindit, & non sanctorum more in Domino gloriatur, sed ut hypocritæ solent, in nomine ejus, qui omnis superbiæ parens est.

LXVI.

Octavò rectè obicitur Romanensibus, quod meritis suis Christo faciant injuriam, quasi merita ejus non sufficiant. Nolumus hoc amplificare sive rhetoricè, sive tragicè, ut Bellarminus ineptiens nobis obicit: quilibet hoc intelligit, qui Christum solum torcular calcasse, ejusque meritum adeo sufficiens fuisse credit, ut vel unica guttula sanctissimi sui sanguinis satisfuisset ad eluenda totius mundi peccata: quin & ipse Paulus nos ita argumentari docuit, cum *Gal. 2, 21*. scribit: *Si ex lege est justitia, frustra Christus mortuus est, & cap. 3, 4. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratiâ excidistis.*

LXVII.

Bellarminus eludere conatur hoc argumentum, obsoletâ suâ responsivâ, merita justorum nasci à meritis Christi. Quando verò vel audet probare hunc suum coccysum? Non equidem negamus, omnia bona nostra opera esse à Christo, nam quod absque Christo est, etiamsi virtus videatur, tamen in vitio est: ipse est vitis, nos palmites, qui manent in ipso, fructus ferunt: sed hîc non est quæstio de fructibus, seu de operibus justitiæ, sed de meritis. Hoc ergo adhuc probandum restat, quod Christus fructibus illis justitiæ vim merendi vitam æternam dederit. Contrarium Christus ipse asserit, cum servos inutiles vocat etiam eos, qui fecerunt omnia quæ scripta sunt in lege, quia nimirum omnia ipsorum opera ad promerendum nihil utilitatis habent. Quicunque ergo meritis operum suorum confidunt, contradicunt huic assertioni Christi, dum ad meritum vitæ æternæ opera sua utilissima putant; derogant eius merito, dum ei soli causam salutis

efficientem ascribere nolunt: nam quod Christi opera apud Deum meruerint, non solum ut salutem consequeremur, sed etiam ut eam per merita propria consequeremur, figmentum Cardinale est, quod Paulus refutat Rom. 11, 6. Gal. 2, 21. 3, 4. Ephes. 2, 9. & qui ita docent, dividunt gloriam salvandi inter Deum & se, imò sui ipsius salvatores fiunt: nec juvat, quod Bellarm. dicit, opera bona esse à DEO, & omnem ipsorum dignitatem pendere à gratia: nam & ministrorum verbi operatio est à Deo, & dignitas ejus dependet à gratia, & tamen ministri dicuntur salvatores hominum, Obad. vers. 21. qui per verbum salvos faciunt & seipso, & qui audiunt eos, 1. Timoth. 4, 16. idque ministerialiter: id quod de hominibus bene operantibus dicere minimè possumus. Non enim placuit Deo mediantibus nostris meritis, sed per Christum nos reconciliare sibi 2. Cor. 5, 18.

LXIIIX.

Frustra ergo Bellarminus sub finem hujus capituli disputat, nos, si meritis nostris salvamur, magis debitores fieri Christo, quam si sola gratia, quia sic nobilissimo, honorificentissimoque modo salvamur. Quæ verba nisi à Cardinale profecta essent, lusum & jocum Diaboli dicerem. Itane enim honorificentior & nobilior fit salus nostra ex meritis nostris, quam ex merito Christi sacrosancto? Apage Satan cum lurido hoc fœtore, quo caput istud clauditur. Nihil dicam, quod juxta hanc hypothesein minus honorificè salvarentur infantes, qui mox post baptismum discedunt, latro in cruce & alij in ultimo agone conversi, quorum opera bona vel nulla sunt, vel satis tenuia; cum tamen modus justificationis & salutis nostræ magis & minus non recipiat: nunquam certè committeret animus pius, ut ullis hominum operibus plus honoris aut laudis tribuatur, quam merito Christi sacrosancto. Quod cum faciant Romanenses, apparet, à quo ducantur spiritu, & quam gratiam redemptori suo pro tot laboribus ac sudoribus passionum suarum rependant. Verùm satis etiam de hoc capite.

CA-

CAPUT VI.

De exceptionibus Bellarmini ad quedam Patrum dicta, quæ operum merita impugnant.

LXIX.

Superiore capite quarto sententijs Patrum, quas Bellarminus pro sua opinione adduxerat, alias ex iisdem patribus opposuimus, ut constaret, Patres pro variatione temporum aut conditione scriptorum suorum, aliter atq; aliter loquutos de hac materia, ideoq; juxta analogiam scripturæ explicandos esse. Iam Bellarminus ipse aliqua Patrum dicta sibi opponit, & ad ea respondere conatur, sed ita, ut ei aqua hæreat, & omninò metuendum sit, ut si reliqua plurima, quæ passim in nostrorum libris reperiuntur, saltem attigisset, de victoria hoc in genere desperandum sibi esset. Nihil enim aliud facit, quam quod responsiunculas ad scripturæ dicta in præcedente capite datas repetit, suasq; distinctiunculas de homine ante & post gratiam, vel de operibus renatorum & non renatorum tædiosè semper inculcat: quas cum Patribus ignotas sciamus, ipseq; nondum probare ausus fuerit, a nobis etiam antè satis refutatæ sint, ideo in Examine hujus capitis breviores erimus.

*Contra cap.
6. lib. 5. de
Iustif. Bell.*

LXX.

Cum Hilarius scribit, justitiæ opera non sufficere ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei humanorum motuum vitia non reputet: Respondet Bellarminus, *Hilarium docere, bonis meritis admisceri peccata quedam, quæ quidem hominem non faciunt injustum, cum sint levia & venialia, remissione tamen & misericordia indigeant, quia nihil coinquinatum intrare possit in regnum Dei.* Hoc ipsum vero est, quod meritum omne tollit: nam ubi remissio peccatorum petenda, ibi nulla est perfectio hominis absoluta: ubi misericordia, ibi nullum meritum operum, ubi immundities est, quæ regno cælorum excludit, ibi peccatum est propriè sic dictum; quod Bellarminus quidem *leve* vocat, sed tale est, quod omnem justitiam hominis polluit eumque regno cælorum, in quod nihil immundi ingreditur, indignum faceret,

nisi

nisi misericordia Dei remittens peccata, interveniret: ubi ergo hic est meritum operum?

LXXI.

Cum Basilius scribit: vitam æternam dari non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi: regerit Bellarminus 1. *velle Basilium quod requies aeterna reddenda sit non pro mensura operum, sed pro mensura magnificentiae Dei, sive non quantum debetur operibus, sed multo amplius, quantum videlicet decet munificentiam Dei.* Verum Basilius confert debitum operum & debitum Dei, intelligens non debitum justitiæ divinæ, quæ requirit proportionem inter opus & mercedem sive debitum, qualis inter opera hominum, propter adhaerentem immunditiam, & inter vitam æternam non est; sed debitum gratuitæ promissionis: nam promissum etiam cadit in debitum. Hæc ergo illa Dei munificentia, quod homini ex gratia donat etiam id, quod operibus ejus non debetur. 2. *Basilium, ait, excludere merita, quæ sint homini à se, & predicare merita, quæ sunt homini ex gratia.* Utrumque falsum est: agit enim de operibus legitime certantium, quæ est descriptio eorum, qui ducuntur à spiritu Dei; nec agnoscit ulla merita quæ sint ex gratia, quia opponit merita munificentissimæ Dei gratiæ: non illis, sed his requiem vitæ æternæ adsignat.

LXXII.

Augustinum, cum operum merita damnat, quod passim facit, *ea saltem merita intelligere, ait Jesuita, quæ sint ex nobis; non autem quæ sint ex gratia Dei, in nobis, siquidem hæc alibi commendat.* Suprà autem diximus, Augustinum vocem meriti abusivè ponere, pro operibus bonis, quibus Deum ait reddere vitam æternam, non quasi bona renatorum opera sint merita propriè sic dicta, quæ proportionem habeant ad vitam æternam: hoc enim negat, quando de patribus scribit *lib. 1. ad Bonifac. cap. 21.* quantalibet etiam virtute præditi fuerint, non tamen eos salvos quidquam fecisse, nisi fidem Salvatoris, & quando in *Psal. 109.* scribit, *Deum se nobis debitorem fecisse, non aliquid à nobis accipiendo, sed tanta nobis promittendo; & cum serm. 15. de verb. Apostoli ait: Deum prorsus gratis dare, gratis salvare, quia nihil invenit, unde salvet, & multum invenit, unde damnet &c.* Sed contra Pelagium semper urget, opera bona (quæ

(quæ merita vocat) esse Dei donum, quod ille negabat, iisque vitam æternam dari, quia ea promissa sit legitimè certantibus. Quicquid ergo de meritis seu operibus per gratiam in nobis factis differit, non est causa salutis, sed descriptio subjecti, cui salus promissa fuit.

LXXIII.

Eadem responsione utitur Bellarminus ad dictum Prosperum, quâ dicitur, eos qui multo labore sudarunt in vinea, nec amplius quam novissimos, accipere, quia donum gratiæ acceperunt, non operum mercedem. *Prosperum merita, quæ sint à nobis, intelligere, ait, non quæ nobis sunt à gratia Dei.* Atqui Prosper loquitur de laborantibus in vinea, quæ est descriptio piorum, qui ductu Spiritus S. non propriis viribus operantur; & tamen his omnibus data vita æterna, sive parum, sive multum laboraverint; quod certè non juxta meritum laborantium, sed juxta bonitatem patrisfamilias factum.

LXXIV.

Idem est Bellarmini coccyismus ad locum Gregorii, qui nos ad vitam convalescere ait, non ex meritis, sed ex venia: *Gregorium de operibus quæ sunt in nobis loqui dicit.* Atqui loquitur Gregorius de se in medio cursu bonorum operum constituto, quæ certè erant hominis renati opera, & ex his operibus se non convalescere ait, sed ex veniâ, quam apud Deum quotidianâ pœnitentiâ impetret. Ideo homil. 7. in Ezech. *non in fletibus, non actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione, in judicio nos confidere jubet.*

LXXV.

Ad dicta Bernhardi, quibus habetur, quod hominum meritis non debeatur vita æterna ex jure, quod non sit dignus propriis meritis vitam consequi æternam, quod non confidat in meritis suis, sed in miseratione Domini, &c. respondet Bellarminus 1. *meritis non deberi vitam æternam ex jure absolute, quia presupponunt gratiam & promissionem.* 2. *Intelligere ipsum merita ex nobis, non quæ sunt ex gratia Dei* 3. *fortasse ipsum ex humilitate & incertitudine gratiæ ita loqui.* Verum Bernardus ser. 1. de annunciat: ideo meritis nostris vitam æternam non deberi ait, quia partim non sunt nostra, par-

F

tiam

tim etiam quia nulla inter ea & vitam æternam proportio. Ita enim scribit: Ut taceam, quod merita omnia Dei dona sunt, & ita homo magis propter ista Deo debitor est, quam Deus homini; quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? Deinde loquitur Bernardus de se tanquam homine renato, & tamen sua merita à consecutione vitæ æternæ excludit: nec ex humilitate aut incertitudine gratiæ (sicut Bellarminus, quamvis satis trepidanter, per suum *Fortasse*, asserit) sed ex veritate loquitur, jam in portis mortis constitutus; *fateor non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum.* Et alibi: *Queramus gratiam, sed gratiam apud Deum, &c. querant alii meritum, nos invenire gratiam studemus, consulite conscientias vestras, & videte, ubi abundavit delictum, superabundet gratia. Maria non pretendit meritum, sed gratiam querit, serm. de nativ. Mariæ.* Neque dubitamus affirmare, Bernardum, in hac quæstione de operum meritis totum nostrum esse, in cuius lectione etiam ultimis vitæ suæ annis diligenter versatus *Carolus V.* laudatissimus imperator, eadem ex Bernardo verba repetit, se quidem indignum esse, qui propriis meritis regnum cælorum obtineat, sed Dominum Deum suum, qui illud duplici jure obtineat, & patris hæreditate, & passionis merito, altero contentum esse, alterum sibi donare, &c. propriis meritis fidere, non fidei, sed perfidiæ esse, referente *Thuano lib. 21. historiar. anno 58.* Sic ergo Patrum quoque testimonia in hac controversiâ ab injuriis Bellarmini vindicavimus.

CAPUT VII.

An fiducia aliqua in meritis collocari possit?

LXXVI.

Ex nostrâ parte supersedere possemus hanc quæstione, quia meritum operum, cui tota hæc structura infistit, nullum esse jam probavimus. Placuit tamen meritorum patrono Bellarmino istam

Contra ca. 7.
 libr. 5. de Iu-
 stis: Bellarm.

istam quoque tractare quaestionem, ut animi sui libidinem expleat, & Spiritum vertiginis magis magisque prodat. Nam aliquemodo fiduciam in meritis nostris collocandam probare conatur, & tamen in sola Dei misericordia & benignitate fiduciam totam reponere tutissimum judicat proposit. 3. cur autem non omittimus, quod lubricum est & fallax, & retinemus quod tutissimum est? Deinde fiduciam tribuit propriis meritis, & misericordiae Dei derogat, quando, an simus in gratia apud Deum, dubitare jubet: hoc cunctis est fiduciam in sola Dei misericordia omnium tutissime reponere? Scriptura sane fiduciam & dubitationem opponit, Matth. 21. vers. 21. Iacob. 1. vers. 6. & non credere, ac fiduciam in aliquem non ponere, pro Synonymis habet, Psalm. 18. vers. 2. Mich. 7. vers. 5. Ioh. 39. vers. 14.

LXXVII.

Antequam autem ad Bellarmini placita de hac quaestione accedamus, paucis sententiam nostram confirmabimus, quod nimirum nulla sit fiducia in operibus nostris collocanda. Primum repugnat fiducia operam fidei, cujus objectum solus Deus est: sicut ergo in solum Deum credimus & non in opera nostra, ita & in solo Deo fiduciam ponimus, & non in operibus nostris: unde maledictus dicitur omnis, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus Jerem. 17. vers. 5. an vero justitiam suam in proprias opellas fiducia id non faciant, sapientes judicent. Ita certe judicavit Augustinus libr. 15. de civit. Dei cap. 18. Non in seipso spem ponere debet homo: maledictus enim omnis, qui spem suam ponit in homine, atque per hoc nec in se. Deinde repugnat cultus invocationis. Quemadmodum enim Deum solum invocamus propter misericordiam suam, & non propter justificationes aut merita nostra (ita enim Daniel orat, Daniel. 9. 18.) ita quoque in merita nostra fiduciam nullam ponere possumus. Unde recte scripsit Brentius, in Apolog. V. Virtenb. cap. de justif. p. 301. fiduciam operum facere ex operibus deos alienos. Nam in quo est confidendum, hoc etiam invocandum, fidei enim opus est invocatio: quod autem invocandum, hoc etiam

Fiducia non est ponenda in bonis operibus.

adorandum. Intremus ergo delubra virtutum, instituamus singulis virtu-
tibus statuas, procumbamus ante ea in genua, dicentes: O sancta fides, o ve-
neranda spes, o adoranda caritas, o inviolata castitas, o triduanam jeju-
nium, o sacra cuculla defende nos, &c. Tertio pugnat cum justificatione
nostra. Qui n. fiduciam ponit in operibus, is ex lege sperat justiti-
am. Atqui ex lege non est justitia, Rom. 3, 20. 10. 3. Ergo non est po-
nenda fiducia in operibus legis. Quarto pugnat cum misericordia
Dei, quæ sola sustentat homines in tentationibus, & opponitur
operibus legis in foro justificationis, Rom. 11, 6. Ephess. 2, 6. Ergo non
potest operibus nostris conjungi: sed quemadmodum idolum
Dagon concidebat, cum opponeretur ei arca Domini, 1. Samuel. 5.
ita opera nostra in sacrario iudicii divini juxta misericordiam
Dei consistere non possunt. Unde *Adrianus de Trajecto*, referente
Cassandro, merita nostra baculum arundineum vocavit, cui dum
quis innixus fuerit, confringitur & perforat manum innitentis.
Quinto pugnat cum merito Christi, in quo solo fiduciam pone-
re, sufficit; fiducia operum illud imperfectum facit; quorsum
enim alio fiducia nostræ objecto opus est, si Christus solus suffi-
cit? Hinc David dicit, Psal. 72, 16. memorabor justitiæ tuæ solius:
o solius, inquit Augustinus super istum locum: quid addidit solius,
rogo vos? sufficeret memorabor justitiæ tuæ. Solius, inquit, prorsus, ubi me-
am non cogito. Quid enim habes, quod non accepisti? &c. justitia tua sola
liberat me; mea sola non sunt, nisi peccata. Sexto pugnat cum justitia
Dei, apud quem non est personarum respectus. Si autem fiducia
in operibus ponenda est, sequeretur, eum plus Deo confidere
posse, qui plurimorum sibi operum conscius est, quod miseris
peccatoribus, quos conscientia ob defectum bonorum operum
angit, concessum non esset. Hinc *Lutherus* scripsit in lib. de votis
Monasticis: Qui se ceteris præferunt propter bona opera, personæ respec-
tum requirunt in Deo, ut opera & non fidem spectet, hoc est, ut homines
præferat Christo, siquidem non curant, quam pretiosa alii ex Christo acce-
perint, sed quam egregia ipsi præ ceteris obtulerint. Septimo repugnat
filiali obsequio, quod debemus Deo: nam ex fiducia operum col-
ligitur nos serviliter & propter mercedem Deo servivisse, seu ut
Lutherus l. d. loquitur, nos non gratuita & liberali, hoc est, Chri-
stianâ

stianâ & piâ, sed servili & mercenariâ, id est, judaicâ & impiâ voluntate laborasse. Octavò repugnat exemplis sanctorum, qui in solo Deo acquieverunt, longè indigniora judicantes opera sua, quam ut in angoribus conscientiaë iis innitantur. Ita David desperat potius, quam ut confidat in operibus suis: Si iniquitates observaris Domine, Domine, quis sustinebit! *Psal. 130, 3.* recordatur justitiaë Dei solius, *Psal. 32, 16.* & Paulus: mihi absit, inquit, gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, *Gal. 6, 14.* Nonò pugnat cum imperfectione operum nostrorum, de quâ scriptura passim testatur, ut in disputatione præcedente audivimus. Ecqua vero fiducia in eo esse potest, quod imperfectum est, & exinde in iudicio Dei consistere non valet? Qui ergo sapit, & conscientiaë suæ consulit, is, ut cum Luthero l. d. loquar, opera sua mala videt & damnat, sed in Christi operibus vincit, & contemnit, ne se mordere possint. Plura hîc non addo, ne lumen in ipso meridie accendere videar. Jam Bellarminum, qui in hâc quæstione sauciataam habet conscientiam audiamus.

LXXIIX.

Tribus autem propositionibus animi sui sensa explicat. Primum ait, fiduciam sanctorum, quam in Deo constituunt, non ex fide solâ, sed etiam ex bonis meritis nasci, atque ideo summo studio merita querenda esse, ut apud Deum fiduciam habere possimus. Ad quam propositionem respondemus: Aliud est fiducia justitiaë, aliud fiducia bonæ conscientiaë. Illa est ex solâ fide, quæ justificat absque operibus, *Rom. 3, 28.* solaque facit accessum ad Deum, *Hebr. 11, 6.* in qua stamus *Rom. 11, 29.* *1. Cor. 16, 13.* *2. Cor. 1, 24.* & pacem habemus, *Rom. 5, 1.* Hæc est ex operibus bonis, quæ de fide testantur. Illa sola est fundamentum fiduciaë nostræ in iudicio Dei: hæc non item; nam Paulus ait: nihil mihi conscius sum, sed in hoc non sum justificatus, *1. Cor. 4, 4.* Conscientiam autem tranquillat bonorum operum studium, ut in adversis lætiores, ad preces animosiores simus, licet in iudicio Dei propterea consistere nequeamus, in quo etiam ea, quæ non contra conscientiam delinquuntur, sub examen vocabuntur, ne quidem otioso verbo excepto, *Matth. 12, 36.* adeo ut laudabilis etiam vita hominum damnetur, si Deus absque miseri-

cordia discussit eam, ut Augustinus *lib. 9, confess. cap. 12*. loquitur. Et huc pertinent omnia ea dicta, quæ Bellarminus adfert ex *Tob. 4, 12. Job. 11, 14. Rom. 5, 4. 1. Tim. 3, 13. Hebr. 10, 34. 1. Job. 3, 21*. quæ de fiducia bonæ conscientia loquuntur, quæ utiq; gaudium & alacritatem operatur, licet in iudicio Dei, de quo hic sermo est, prodire non audeat. Huc etiam pertinent dicta ex patribus allata, quorum omnium communis interpretes est Augustinus præfat. in Psalm. 31, *Ille speret, qui bonam conscientiam gerit, quem vero pungit mala conscientia retrahit se à spe, & non sibi sperat, nisi damnationem. Ut ergo speret regnum, habeat bonam conscientiam, credat & operetur. Quid autem hoc ad fiduciam operum in iudicio Dei, in quo non credere regnat, conscientiam vero benè operari solatur.*

LXXIX.

Falsum autem est quod Bellarminus addit; adeptionem glorie pendere ex duobus, nimirum, ex fidelitate Dei, qui præstat, quod promittit, & ex operibus nostris, quia scriptum est, *Iacob. 1. vers. 12. Deum promississe coronam vitæ diligentibus se*. Nam promissio Dei solum illud est, à quo corona vitæ dependet, quia gratuita est: dilectio autem nota est accipientium coronam vitæ, non medium vel causa accptionis. Oportet utique tamen diligere, non verbo & lingua, sed opere & veritate: sed illa dilectio non est fundamentum fiducia, quam habemus ad Deum, sed fructus fidei, quam veram esse testatur in personâ diligente.

XXX.

Falsum quoq; est, quod Bellarminus addit, *in nondum conciliato primum motum ad salutem esse fidem, & ex fide sequi amorem & desiderium beatitudinis, post amorem sequi spem consequenda beatitudinis, post spem esse caritatem, & ex eo esse spem roboratam, quæ fiducia appellatur*. Nam fides, quæ non est omnium, sed donum Spiritus S. non est in nondum conciliatis, sed per fidem demum fit reconciliatio cum Deo propter Christum. Ex hac fide pendet omnis nostra fiducia ad Deum, fore nimirum, ut reconciliatis sibi parcat in iudicio. Amor & desiderium salutis, spes & caritas, & similes virtutes, de fide tantum quod verasit, & viva, testantur: nullum autem fiducia fundamentum ponunt: quia nulla simpliciter virtus est tam perfecta in homine, quæ rigorem iudicii divini ferre possit.

fit. Relinquitur ergo, fiduciam justitiæ nostræ apud Deum ex sola fide dependere.

XXCI.

Altera propositio Bellarmini hæc est: *In bonis meritis quæ talia verè esse compertum sit, fiducia aliqua collocari potest, modo superbia caveatur.* Probat eam exemplis sanctorum, qui dominum rogaverunt, ut meminisse velit ipsorum in bono, *Nehem. 5, 19.* retribuere ipsis secundum justitiam suam, *Psal. 17, 21.* & recordari, quod ambulaverint coram ipso in veritate, & in corde perfecto, *Esa. 38, v. 3.* quodq; Paulus scribit, se bonum certamen certasse, cursum consummavisse, fidem servasse, in reliquo sibi repositam esse coronam justitiæ, *2. Tim. 4, 7.* Resp. Primum, hæc propositio falsâ nititur hypothese, eaque gemina, quod homo habeat bona merita, quæ verè bona esse compertum sit. Unde enim illud est compertum, cum scriptura toties contradicat, quoties imperfectionem operum nostrorum arguit, & cum expressè fatetur, nos etiam factis omnibus inutiles esse servos, *Lut. 17.* egregia scilicet bona merita, quæ nullius sunt utilitatis in judicio Dei. 2. quod bona merita sunt vera salutis causa. Quæ hypothesis si vera est, nos ipsi dicimus, in bonis operibus vel maximè confidendum esse. Sed supra rationibus satis solidis & evidentibus probavimus, nullam salutis causam in operibus bonis querendam, ergo nec fiducia in eis collocanda.

XXCII.

Deinde quo ad dicta ex scripturis allata, distinguendum est inter justitiam causæ seu bonæ conscientie & personæ. Sancti illi loquuntur de justitia causæ, quod nimirum in illâ re, de qua loquebantur, fuerint absq; culpa, ut, quod Nehemias restaurando civitatem bene fuit meritus de populo Dei: quod David in iis, quæ reprehendebant in eo adversarii, erat innocens; quod Ezechias reformando cultum idololatricum rectè ambulavit coram Deo: quodq; Paulus curriculum sui Apostolatus bonâ cum conscientia absolvit: in eo sanè gloriari poterant in Domino, & provocare ad testimonium bonæ conscientie: minimè a. agebant de personâ suâ, quasi illa in judicio Dei prorsus sit inculpata: nam & quilibet
iporum

ipforum suos habebat naves non obscuros, qui non permittebant, ut operibus suis confiderent, sed potius veniam apud Deum peterent.

XXCIII.

Quod autem Bellarminus addit, fiduciam collocari posse in bonis meritis, modo *superbia caveatur*: id ferè ἐκ τῶν ἀδυνασιῶν est: quomodo enim superbia vacare possunt, qui merita sua iudicio Dei opponere audent? nam eo ipso superbi sunt, non coram mundo saltem, sed quæ omnium maxima est superbia Spirituallis, coram ipso Deo: cui merita sua preculas, jejunia, vigiliis digitis ad numerant, & secundum ea, ex iustitia sua sibi reddi postulant. Non hic agitur de origine meritorum, an sint ex nostris viribus, non de pondere eorum, an majora patentur, quam sint, in quibus solis Bellarminus superbiam illam ponit: sed de eo agitur, quod homines cum Deo in iudicio contendere audent, & non humiliter veniam petere, sed satis superbe debita à Deo exigere audent: quod omnes, qui in iudicio Dei fiduciam operum habere se putant, facere oportet. quos Christus in parabolâ, quam in eos dixit, qui in se confidebant, tanquam iusti essent, graviter depinxit *Luc. 18, 9.*

XXCIV.

Tertia propositio Bellarmini sic habet: *Propter incertitudinem propriæ iustitiæ, & periculum inanis gloriæ tutissimum est, fiduciam in solo Dei misericordia & benignitate reponere.* Quam propositionem verissimam esse credimus, neque unquam sanctius quid dixit Bellarminus in omnibus hisce libris suis, quam hoc verbum. Cogitet autem pius Lector, an non hac propositione omnia ea diruat, quæ in præcedentibus laboriosè exstruere conatus est: quia & totam meritorum structuram hoc unico ariete impetitam, corruere persuasi sumus, præsertim si ea attendimus quæ explanationis loco addit: *quod videlicet absque revelatione nemo scire possit, se habere vera merita, aut in eis in finem usque perseveraturum: & quod nihil facilius sit, quam superbiam ex consideratione bonorum operum gigni.* Quod si enim in Dei misericordia fiduciam ponere tutissimum; si de meritis nostris absq; revelatione nihil certi scimus; si superbi-

biam

biam in nobis gignunt: cur non de meritis operum disputare desinimus? cur non unicâ Dei misericordiâ nos indignissimi vermiculi contenti sumus, numquid cum Enthusiasticis revelationes expectabimus, aut superbire discemus?

XXCV.

Videt hæc absurda Bellarminus omnia, & tot dictis, quæ contra meritum operum ex Scriptura & patribus, ad probandum hanc propositionem affert, causæ suæ jugulum ipse petit, & tamen in meritis confidere non desistit, nec Deo gloriam dare, aut crassum illum Romanensium errorem de meritis operum abii cere & detestari audet: quæ res indicio est, ipsum, ut in principio diximus, totam hanc, disputationem cauteriata conscientia instituisse. *Ve autem, qui malum dicitis bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, Esa. 5, 20.* Nos caput hoc concludimus gravissima adhortatione Chrysostomi homil. 3. in Matth. *Noli mercedem repossere, ut accipias mercedem. Tu salvari te per gratiam confitere, ut se ille tibi debitorem fateatur: nec modo pro operibus tuis, sed etiam pro hac æquanimitate. Quando enim aliqua præclare fecerimus, habemus eum debitorem, ob res benè gestas; quando vero nihil arbitramur nos operatos, egregium amplius etiam ob talem meremur affectum, quam propter opera ipsa, quæ fecimus. Minimum itaq; de se sensisse, tam magnum est, quam maximas res fecisse.*

CAPUT IIX.

An licitum sit operari bona opera intuitu mercedis æternæ?

*Contra cap. 8.
libr. 5. de justifi-
fic: Bellarmin*

XXCVI.

De hac quæstione disputat Bellarminus ex Concilio Tridentino, in cuius *sess. 6. can. 31.* anathema dicuntur: quicumq; dixerint justificatum peccare, dum intuitu mercedis aut æternæ pœnæ operatur. Quæ hîc damnatur sententia, eam omnibus modis piam & Orthodoxam esse credimus; quod facile probari potest. *i. ipsa lex naturæ docet, servile atque sordidum esse, tan-*

G

tum

eum ob mercedem aliquid bonifacere, & vitandæ poenæ gratiâ peccatum vitare. Nam ipsa sibi virtus pretium est, inquit Poëta: *Oderunt peccare boni virtutis amore: oderunt peccare mali, formidine poenæ.* 2. Conditio renatorum intuitum mercedis in benè operando non admittit; nam renati sunt filii Dei, filii autem amore parentum obediunt, etiam iis, à quibus nihil retributionis expectandum, hoc est, pauperrimis: servi autem tantum mercedem quarunt, & ubi eam non inveniunt, non se submitunt. Servile ergo est propter mercedem benè operari. 3. Natura cultus, quem Deus à nobis requirit idem postulat. Nam cultum spontaneum vult Dominus, qui vero intuitu mercedis fit, spontaneus non est, quia deficiente speratâ mercede, cultus ipse quoq; deficeret. 4. Christus suos vult eleemosynas dare in occulto & ut nesciat dextra, quid fecerit sinistra *Matth. 6, 8.* ergo non intuitu mercedis, &c. Huc denique referenda sunt argumenta omnia, quibus probavimus supra, bona opera justorum non esse meritoria; nam ubi non est meritum, ibi quoque non est intuitus mercedis propriè sic dictæ.

XXCVII.

Ex his omnibus liquet, frustra limitare Bellarminum sententiam Concilii, quasi non dicat, tantum nec precipue affectu mercedis operandum esse, sed primum quidem propter gloriam Dei, deinde vero etiam propter mercedem felicitatis aeternæ. Nam argumenta adducta evincunt, nullum omninò mercedis intuitum hîc locum habere: sed pios ita esse comparatos ad obediendum Deo, ut, si neq; cœlum neq; infernum esset, nihilominus tamen benè operarentur, quia obedientiam suam placere Deo sciunt.

XXCIIIX.

Ad argumenta Bellarmini, quibus sententiam suam probare conatur, paucis respondemus. Christus *Matth. 4. vers. 17. & cap. 5. vers. 3.* non jubet opinione aut spe merendi regnum cœlorum pœnitentiam agere, nec propterea pauperes Spiritu beatos prædicat: Sed per regnum cœlorum intelligit regnum Messia, jam tum per prædicationem Evangelii ministerio Apostolorum in universo mundo amplificandum. Ideo pœnitentiam agere jubet
Spiritu

spirituque contritos commendat, quia Messias non opinione
propriae justitiae turgidos, quales Pharisei erant, nec peccatis ad-
huc marcidos, ut Sadduceos, sed veram poenitentiam ad se conver-
sos regni sui, hoc est, doctrinae Evangelicae participes reddet. Ni-
hil ergo hic de vita aeterna, nihil de ejus merito.

XXCIX.

Matth. 6. vers. 33. ordinem notat beneficiorum divinorum,
non intuitum mercedis commendat. Praecedunt enim spiritua-
lia, quae regno Dei & justitia ejus comprehendit: sequuntur cor-
poralia & ad hanc vitam spectantia, quae Deus etiam sponte adii-
cit quaerentibus spiritualia, absque intuitu ad ea, *Luc. 16. 9.* ait eos,
quibus benefecimus, recipere nos in aeterna tabernacula, quod
precibus hac in vita, & testimonio, quod fidei & caritati nostrae
praebent, in die novissimo facere solent. Nihil hic audis de intuitu
mercedis. Paulus in *1. Corinth. 9. 10.* nihil agit de vita aeterna, sed de
stipendiis laborum suorum, quae tanquam debitum suum ab Ec-
clesia sperare potest, sed nihil hoc ad operum meritum in judi-
cio Dei.

XC.

David in *Psal. 119, 112.* agit de suo proposito, quod secundum
legem Domini vivere velit usque in finem, hoc est, omnibus
diebus vitae suae. Bellarminus Davidem respicere dicit ad sempit-
ernam mercedem, quam expectet. Sed hoc non habetur in tex-
tu, neque institutum probat: non enim negamus mercedem
esse propositam viventibus secundum legem, sed non ex merito
obedientiae, sed ex gratuito Dei promisso. Mosen *Hebr. 11, 26.* &
Paulam *Philip. 3, 14.* intuitu remunerationis & habeat propositi
bene vixisse concedimus, sed non intuitu alicujus mercedis ope-
ribus suis ex justitia debitae, quod Bellarmino probandum erat.
Eadem est ratio exhortationum Apostolicarum, ut sic curramus,
ut comprehendamus, ut bonum facientes, non deficiamus
quia tempore suo metemur, ut ex animo operemur tanquam
Domino, scientes, quod a Domino accepturi simus retributio-
nem. Quae dicta & exempla nihil sunt aliud, quam stimuli ad
studium virtutis, cum illud non sit absque remuneratione.

Non enim negamus, pios consideratione largissimarum promissionum, quas pietas in hoc & futuro seculo habet, excitari ad bene operandum; huiusmodi enim stimulis indiget homo in hac vita propter infirmitatem carnis, quæ semper reluctatur Spiritui. Sed hoc non est in quæstione, verum illud, an promissa bona sint merces propriè sic dicta, quæ debetur strenuè laboranti, cuiusque mercedis intuitu, in laborando pii excitatiores reddantur. Et hoc est quod nos negamus, neq; Bellarminus adductis scripturis & exemplis probare hæctenus potuit.

XCI.

Patrum testimonia pro sua opinione affert, sed frustra. Cyprianus hortatur martyres ad sustinendam fortiter persecutionem, meditatione futurorum præmiorum. Rectè equidem, & ad exemplum Pauli 2. Cor. 4, 17. Sed quid hoc ad intuitum mercedis, ex iustitia debite, de qua hic controversitur? Ambrosius loco à Bellarmino laudato in cap. 15. Lucæ, servientes ad mercedem, mercenarios vocat, qui quod bonum est, non probitatis studio persequuntur, nec virtutis gratia, sed utilitatis studio provocati: at verò filius, inquit, qui habet Spiritus S. pignus in corde, secularis mercedis lucella non quarit, qui jus servat hæredis. Quid clarius contra Romanenses dici potest? Valdè autem dilurum est, quod Bellarminus addit, si mali sunt, qui serviunt Deo propter lucella bonorum temporalium, ergo boni sunt, qui serviunt propter lucrum mercedis æternæ. Ita enim Ambrosius non argumentatur: quia mercenarios non opponit mercenariis, quorum aliqui propter temporalem aliqui propter æternam mercedem laborant; sed filiis, qui nullam mercedem attendunt, sed probitatis studio, ut loquitur, bonum persequuntur. Quam ob causam eos mercenariis in vinea laborantibus confert, quia non juxta proportionem laborum, sed gratiam patrisfamilias denarius eis solvitur. Hieronymus Paulum plus laborare scribit, ut plus mercedis accipiat, præmia intelligens in vita æterna, quæ secundum proportionem laborum distribuentur, sed non ex debito iustitiæ, verum ex gratia promittentis: quo sensu Paulus scribit, Deum daturum cuilibet secundum suum laborem, 2. Cor. 5. Augustinus in Psal. 120. bona opera non propter temporale aliquod

aliquod commodum, sed propter vitam æternam facere jubet, respiciens ad intentionem facientis, qui sibi semper vitam æternam proponere debet in omni opere suo, quia eam Deus diligentibus se promissit, & negligentia in studio bonorum operum vitam æternam perdere potest, licet ipsum bonorum operum studium parare nequeat. Hocine vero est intuitu mercedis aliquid facere? Ita *Gregorius* dicit nos spe ad supernam patriam tendere, nec vitii mundi contineri debere: nihil hic audis de mercede: alias nos idem omninò cum *Gregorio* dicimus, qui cursum nostrum benè consummando ad cœlestem utique patriam tendimus.

XCII.

Ad rationes *Bellarmini* ferè idem respondemus. Ad *primam*: in benè operando licet intueri vitam æternam, modò non ut ad mercedem ex justitia Dei nobis debitam, sed ex gratia diligentibus Deum promissam: ita *Paulus* & *Petrus* vocant vitam æternam finem fidei & operum justorum, non mercedem, *Roman. 6, 23. 1. Pet. 1, 9.* quemadmodum *Bellarminus* ipse super locum *Petrinum* distinxit inter finem & mercedem, supra cap. 3. hujus libri. Ad *secundam* rationem: homines, quatenus adhuc caro sunt, metu pœnarum infernalium abstinere, sed quatenus renati, spiritu libero Dei serviunt. Sic propter carnem piis adhærentem promissiones vitæ æternæ movent ad studium pietatis, cum plerumque semper gratis pœniteat esse probum: sed quatenus Spiritus S. ductum sequuntur, ejusmodi incitamenti non indigent, quia ubi Spiritus est, ibi est libertas *2. Cor. 3, 17.* Ad *tertiam*: pœnitentia & sacramenta percipiuntur, non ut merita, sed ut media conferentia gratiam & vitam æternam: ita & opera bona non sunt merita gratiæ & vitæ, sed ad eam alium respectum habent, videlicet, ut conditio eorum, quibus eam Deus in Christo destinavit. Ad *quartam*: In opere Spirituali ad brabeum à Deo propositum attendere licet, sicut in opere temporali ad finem, in aratura ad messem, &c. sed cæteris paribus, hoc est, ne simile nimis latè extendatur: nam aratura quidem causa messis est efficiens, labor autem spiritualis non est causa efficiens, vitæ æternæ: ea enim ab alio principio

dependet; sed nota & conditio eorum, quibus vita à Deo fuit promissa: ac proinde bene operantes ad illam tanquam ad mercedem sibi debitam intuitum habere non possunt: quod erat in questione.

CAPUT IX.

De exceptionibus quibusdam Bellarmini, ad quadam argumenta in hac questione?

*Contra cap. 9.
lib. 5. de justifi-
fic. Bellarmin.*

XCIII.

Ad argumenta nostra responsurus Bellarminus, pleraque quæ in Luthero, Chemnitio & aliis Theologis reperiuntur præterit, & unum vel alterum tantum refutandum sibi sumit. Primum sibi obiicit, quod Christus Ioh. 10. mercenarios reprehendit, quodq; Bernhardus & Thomas veram caritatem mercenariam esse negant. Ad quod excipit, mercenarios proprie vocari, qui solam mercedem aut præcipue intuentur: se vero hoc non dicere; sed Deum ejusq; gloriam tanquam ultimum finem, mercedem autem ut finem secundarium, qui propter Deum ejusq; gloriam expetatur, respiciendam affirmare. At vero mercenarius à mercede nomen habet, quicumque ergo intuitu mercedis operatur, licet ei in sua intentione Deum etiam adjungat, is mercenarius est proprie sic dictus. Filii vero in domo Dei, præmiis quidem in cælo repositis ad virtutes excitantur, inter ipsa tamen tormenta & passionem mundi hilariter faciunt, quæ Deo placent, quia cum diligunt, voluntatem ejus agnoscunt, & fructum fidei a se requiri sciunt, quem Deus etiam nil tale cogitantibus remunerare solet.

XCIV.

Deinde cum obiicitur Bellarmino, servile atque sordidum esse intueri mercedem ipso opere & labore vitiosem: regerit ille, serviles atque sordidos esse, qui propter temporalia lucra præcipue Deo serviunt, aut Ecclesiastica & spiritualia ministeria obeunt: at spectare mercedem eminentissimam, quæ in Dei visione consistit, esse regium & nobilissimum. At
scriptu-

Scriptura expressè contrarium statuit. Eos enim qui in munere etiam Ecclesiastico mercedem laborum suorum accipiunt, minimè serviles sive sordidos nominat; Deus enim ipse, ut hoc facerent, præcepit, *Deut. 25, 4. conf. 1. Cor. 9, 14. 1. Ti. 5, 8.* Christus propterea Apostolos suos edere & bibere jubet, quæ eis opponuntur, quia dignus est operarius mercede sua, *Luc. 10, 7.* Paulus jus Apostolicum vocat, petere laborum suorum mercedem, licet non semper jure suo usus fuerit, quod toto capite nono prioris ad Corinthios deducit, ubi v. 14. addit: *eos, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Et in Epistola ad Timotheum repetit verba legis & Christi: *non infrenabis os bovi trituranti, & dignus est operarius mercede suâ, 1. Tim. 5, 18.* Quid ergo hæc in re esse potest servile vel sordidum, quod tot scripturis munitum? Contra vero scriptura pro maximè servili, sordidoque habet, quod Bellarminus, pro suâ contradicendi libidine, regium & nobilissimum vocat, cultum nimirum Dei spiritualement intuitu mercedis æternæ factum. Nam qui propter mercedem Deo serviunt, minimè liberè, sed mercede illa adacti serviunt, quæ si ipsis in oculis & animis non esset, nunquam Deo servirent. Id vero fervorum est: nam filii Dei ducuntur spiritu Dei, *Roman. 8, 11.* ubi autem Spiritus Domini est, ibi est libertas, *2. Corinth. 3, 17.* & fideles in libertatem vocati dicuntur, *Galat. 5, 13.* quia libero Spiritu Deo serviunt, non ut quidquam mereantur, sed ut æterno patri gratum officium præstent. Quam ob causam Christus discipulos non amplius servos, sed amicos dicere voluit, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, quod amici sciunt, *Iohan. 15, 15.* hoc est, nota eis est voluntas patris, quam adimplere eis volupe est, sine ullâ opinione meriti, qua servi laborant. Servilitas ergo illa & sordities, non ex nobilitate mercedis, sed ex ipsa mercede æstimanda est, ita ut servitium & sordidorum hominum notam effugere non possint, qui propter mercedem, & non in solius Dei gratiam ac gloriam benè operantur.

XCV.

Falsum a. est, quod Bellarminus addit: *sanctos cum detestantur
amorem*

amorem mercenarium, semper loqui de amore temporalium commodorum. Nam omnem prorsus mercedem excludunt à filiis, non tantum temporariam: quod ex solo illo Nazianzeni loco constat qui orat. 40. in 5. Baptis. scribit: *Si servus es, plagas metue: si mercenarius mercedem duntaxat specta: si autem supra hoc assurgis ac filius es, ut patrem verere, ac bonis operibus stude, quia bonum est patri obtemperare, etiamsi ex re nihil questus ad te rediturum sit.* Quæ verba generalia sunt, & æternæ quoque vitæ mercedem excludunt: ea enim spontè sequitur rectè operantes, etiamsi non propter hanc mercedem operentur.

XCVI.

Tertiò cum ex Scholasticis obiicitur, Deum amore amicitie, non amore concupiscentie diligendum esse, excipit Bellarminus; *amari posse amicum præcipue propter ipsum, etiamsi secundariò mercedem operis ab ipso expectet, & hoc non esse amorem concupiscentie, sed amicitie;* Respon. Quid de amicitia utili disputent Philosophi, ex Ethicis notum est. Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 3. vocat amicitiam per accidens, imperfectam & instabilem, senibusque propriam, qui simili vitio, hoc est, avaritiâ laborant. Qui ergo propter mercedem operis tantum amant, veri amici non sunt, sed mercenarii: nam amicus etiam absque spe mercedis alteri gratificatur. Ita Deum amare non potest sincerè, qui tam diu tantum amat, quam diu spes mercedis affulget. Deinde aliud est expectare mercedem laboris, & aliud, intuitu mercedis laborare. Illud etiam p̄i facere possunt, qui sciunt mercedem copiosam in cœlis eis esse, promissam: non autem intuitu mercedis laborant, quasi meritis operum suorum debeat merces ex justitiâ, cum se nihil apud Deum mereri posse sciant.

XCVII.

Ut ergo quæstionem hanc concludamus, in operibus nostris mercedem aliquam propriè sic dictam respiciendam minimè esse statuimus, vitam æternam tamen sperandam, quæ promissa est in Christum credentibus, fidemque suam operibus caritatis comprobantibus. Quæ promissio nobis gratuitò facta excitare debet animos nostros ad virtutem, & torporem excutere, ne in bono-

bonorum operū studio segnescamus, scientes malis operibus vitam æternam amitti posse, licet eam bonis mereri non valeamus. Quò pertinent illæ exhortationes, sic currite ut comprehendatis 1. Cor. 9, 24. non deficite in bono, tempore enim suo meretis Gal. 6, 9. quicquid facitis, ex animo facite, quia à Domino accipietis retributionem Col. 3, 24. thesaurizent sibi divites fundamentum bonum, ut apprehendant vitam æternam 1. Tim. 6, 19. &c. Plura de hac controversia vide in *Question. meis in cap. 1. ad Colos. quest. 3.*

CAPUT X.

De conditionibus meriti.

XCIIIX.

Quæ hætenus de meritis operum disputavit Bellarminus, pertinent ad quæstionē, *An sint?* jam altera pars sequitur, quæ continet quæstionem, *Quid sint merita operum?* & sint conditiones meriti proprie sic dicti, quæ de re Bellarmini proluxè differit à cap. 10. usq; ad 16. ubi de septem conditionibus meriti agit: 1. est ut sit opus bonum. 2. ut fiat in obsequium Dei. 3. ut, qui meretur sit viator, seu in hac vitâ constitutus. 4. ut sit opus liberum. 5. ut qui meretur sit amicus & gratus Deo. 6. ut opus ex caritatis virtute procedat. Nos totam hanc disputationem capitibus sex comprehensam in pauca contrahemus, ostensuri, eam prorsus impertinentem & hoc in loco frustra institutam esse.

XCIX.

Primum enim propria meritorum requisita & conditiones datâ operâ hic omittuntur: quæ requisita ita comparata sunt, ut operibus hominum etiam optimis omnem meriti rationem adimant. 1. Meritum proprie sic dictum oportet esse opus nostrum: nam alieno opere mereri nihil possumus, sicut, qui de alieno liberales sunt, nihil merentur. 2. Oportet esse indebitum: nam ad quæ ex debito obstricti sumus, ea inepta sunt ad meritum; sicut filij obedientiâ suâ non merentur hæreditatem, jam ante enim ad eam sunt obstricti. 3. oportet illi commodum esse cui præstatur, nam qui nullum ex re quadam fructum percipit, rem istam pro merito

H

habere

*Contra cap.
10. 11. 12. 13.
14. 15. l. 5. de
Justif. Bell.*

*Requisita
meriti proprie dicti*

habere nequit, sicut servi res suas privatas agendo nihil merentur, quia nihil utilitatis inde percipit herus. 4. Oportet non tantum proportionem sed & æqualitatem esse, inter laborem & mercedem, alias non est locus merito, sicut qui pro paucis nummis diviti tempore necessitatis multò datus, mille accipit aureos, tantam beneficentiam nummis suis promeritus minimè dicendus est. 5. Oportet eum, qui aliquid mereri vult, sui esse juris; nam mancipia nihil mereri possunt apud eos, in quorum sunt potestate.

C.

Si ad has condiciones examinentur opera sanctorum etiam si optima, nihil horum reperietur, quod meriti, propriè sic dicti, nomen & definitionem obtinere possit. Nam 1. opera bona non sunt nostra, sed Spiritus sancti, quid enim habes quod non accipisti? Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere, pro bonâ tuâ voluntate *Philip. 2, 13.* & *Esaïas* clarè dicit: Domine, omnia opera nostra tu operatus es in nobis *Esa. 26, 12* 2. opera bona jam ante debemus: ad hoc enim sumus conditi, & per Christum liberati è manu, qui oderunt nos, ut serviremus illi in justitiâ & sanctitate coram ipso *Luc. 1, 75* unde & Christus omnia facientes debitores nominat *Luc. 17.* 3 Nihil commodi ex operibus nostris redundat ad Deum, qui etiam absque illis semper & perfectè sanctus & beatus est: quid enim utilitas omnipotenti, quod perficias vias tuas, inquit *Iob. cap, 22, 3.* & iterum si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet *Iob. 35, 7.* unde & *Elshaddai*, Deus ipse sibi sufficiens, in eodem textu, & passim alibi appellatur. 4. Nulla est proportio inter opera hominum & vitam æternam, nedum aliqua æqualitas, non tantum quò ad eorum imperfectionem, verum etiam propter tenuitatem, nam & à peccatoribus fiunt, & in se finita sunt: unde Paulus de passionibus nostris scribit, quod non sint condignæ ad futuram gloriam *Rom. 8, 18.* eadem est ratio operationum. 5. Denique omnes sancti ac Deo sunt devincti, non sui juris, sed in potestate Altissimi, partim respectu creationis, partim etiam respectu redemptionis, ac proinde non audent sua obtendere merita ei cuius sunt mancipia, contenti potius, quòd servitia ipsorum accepta, & adhærentem im-

perfe-

perfectionem non imputat, semper dicentes cum Davide : ne in-
tres in iudicium cum servo tuo *Psal. 143, 2.* Hæ meritorum con-
ditiones adferendæ & expendendæ fuissent : reliqua omnia in his
capitibus ad rem non pertinent.

CI.

Nam secundo loco observari volumus, quod in plerisque
conditionibus, quæ Bellarminus affert, non sumus dissentientes;
sed eæ non sunt conditiones meritorum, sed bonorum operum.
Nam cum merita propriè sic dicta nulla sint, frustra de eorū con-
ditionibus laboratur. Cum autem de bonis operibus sermo est, et-
iam nos dicimus, opus bonum esse natura sua bonum, in obse-
quium Dei fieri, & quidem hoc in seculo, de quo controversiam
nullam esse, Bellarminus ipse fatetur. Concedimus etiam bo-
na opera fieri ab iis, qui libertate arbitrii sunt præditi, licet ex vi-
ribus sui arbitrii talia opera non præstent; non enim sunt bruto-
rum opera, sed hominum ratione præditorum, ac proinde argu-
mentis Bellarmini omnibus, quæ cap. 10. habet, subscribi-
mus. Fiunt ab iis, qui sunt in statu gratiæ, sunt enim filio-
rum opera, qui spontaneum Deo præstant cultum, ducti à
spiritu Dei : & sic rationibus duodecimi capituli etiam subscri-
bimus. Sunt talia opera, quibus Deus vitam promisit æter-
nam, & ex hac promissione ipse debitor noster factus est, quod
capit. 14. probat Bellarminus, neque nos dissentimus. Ex amo-
re DEI profecta sunt, & in amorem, gloriamque ejus unice
tendunt, quod cap. 15. disputatur, & nos etiam concedimus.
Sed hæc omnia hoc in loco, ubi non de bonis operibus,
sed de meritis operum quaritur, frustra disputantur: idcirco pro
nostra parte totam hanc disputationem omittere possumus, ut o-
tiosam hoc in loco.

CII.

Tertiò vero altercationes quasdam inter Pontificios do-
ctores circa quatuor postremas conditiones meriti, quas vocat,
adfert, quæ quidem, quia nos non concernunt, negligere possu-
mus: quia tamen egregiū testimonium præbent consensus docto-
rum Pontificii, & nonnulla continent contra analogiã fidei, idcirco
hæc sicco pede omninò prætereire nolumus, nō tamē omnia ad vi-

vum refecantes, sed quæ maximè necessaria videbuntur, perstringentes.

CIII.

Contra cap.
10. & 11.
Bellar.

Primum producit quendam *Robertum Olchot*, qui docuerit, libertatem arbitrij ad merendum non esse necessariam: quæ opinio, cum ex homine brutum faciat, quod non ex libertate arbitrij, sed ex naturâ suâ agit, ita ut aliter agere non possit, meritò à Bellarmino refutatur cap. 10. & 11. Quo in genere nos non habet contradicentes. Illud tamen approbare non possumus quod sub finem capituli undecimi scribit: *sanctos in gratiâ confirmatos, si in se considerentur, absolute peccare posse, etiam letaliter, licet sine dubio immunes futuri sint à peccato.* Id vero falsissimum est. Nam sancti in gratiâ confirmati, sunt beati in alterâ vitâ. Hi vero nullam neque causam neq; occasionem peccandi habebunt: Diabolus eis non amplius insidiabitur, quia subjectus est pedibus ipsorum: mundus non seducit amplius, quia is tum cū omni suo schemate præterit 1. Cor. 7, 31. caro non irritabit, quia corruptibile induit incorruptibilitatem, & sancti semper erunt apud Dominum 1. Thess. 4, 17. à cujus nutu nunquam recedere poterunt: unde qui mortui sunt, iustificati dicuntur à peccato Rom. cap. 6, 7. Et in hoc differunt status instaurationis, & status consummationis; quod in illo sit adhuc potentia peccandi, unde sancti etiam sentiunt interdum irritamenta malorum, licet non obtemperent; in hoc vero neq; actus neq; potentia peccandi est amplius; sed beati in hac quoq; parte *ἰσχυροί* sunt, quod in gratiâ ita confirmati, ut peccare non possint. Quemadmodum ergo ante lapsum peccare potuerunt, sed non peccarunt; post lapsum vero & potuerunt peccare, & creberimè peccarunt: sic in vita æterna immunes ita sunt ab omni peccato, ut ne quidem peccare possint: id enim confirmatio eorum in bono, & status beatorum requirit.

CIV.

Contra cap.
12. & 13.
Bellar.

Deinde anonymum quendam refutat cap. 12. & 13. qui operibus legis vitam æternam deberi statuit, ex eo, quod sunt vera legis obedientia, non quia fiant à persona elevata per gratiam in statum filiorum Dei, quam sententiam à Pio V. damnatam dicit. Etsi vero vitam æternam operibus nostris non deberi firmiter credimus, quia

quia Dei donum est: in eo tamen cum Bellarmino consentimus, quod bona opera Deo grata esse non possint, nisi fiant à persona reconciliata, & in statu gratiæ constituta: ac proinde si in locum *Meritorum* substituas *Bonorum operum* vocabulum, argumentis Bellarmini, quibus contra Anonymum illum disputat, haud inviti subscribimus.

CV.

Illud autem admittere minimè possumus, quod cap. 12. dicitur, etiam in statu naturæ integræ necessarium fuisse ad meritum vitæ æternæ, ut homo per justificationis gratiam, & spiritum inhabitantem adoptaretur in filium, & ad statum quendam supernaturalem & divinum eveheretur: quod dogma hausit ex Lombardo, qui lib. 2. sent. dist. 24. cap. 1. scribit: *homini in creatione datum esse per gratiam auxilium, & collatam potentiam, per quam poterat stare, id est, non declinare ab eo, quod acceperat: sed non poterat proficere in tantum, ut per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret.* Ubi commentator addit: *Communior & celebrior esse opinionem, duplicem fuisse statum hominis ante peccatum, scilicet innocentiam, in quo creatus est, & gratiam, in quo recreatus est.*

An homini in statu integritatis necessaria fuisset gratia adoptionis.

CVI.

Verùm enim verò scriptura primo homini ante lapsum nullum tribuit meritum vitæ æternæ: eam enim jam ex alio principio habuit antequam aliquid boni vel mali facere poterat, imò antequam esset, nimirum ex principio creationis: quod scriptura solum attendit, cum de beatitudine hominis ante lapsum loquitur: nam ad imaginem Dei creatus est *Gen. 1. 27.* quæ in justitiâ & sanctitate veritatis consistit *Eph. 4. 24.* creavit eum Deus *Ev. à Q. 2. 23.* hoc est, ita ut corruptioni & damnationi non esset obnoxius. Et in hac gratiâ si perstitisset imaginemq; sibi concreatam sartam rectam conservasset, non opus habuisset aliâ gratiâ, qua recrearetur: nam recreatio saltem post lapsum in statu hominis corrupto locum habuit: sic & justificatio hominis; quæ cum consistat in remissione peccatorum, & imputatione justitiæ Christi, teste Paulo *Rom. 4. 5.* cumque Deus impium justificet *Rom. 4. 3.* oppidò absurdum est, dicere, hominem ante lapsum, cum adhuc sanctus & integer esset, justificationis gratiam habuisse.

H 3

Tum

Tum enim non opus fuit Christi vel adventu vel iustitia, qui non propter justos, sed propter peccatores in mundum venit *Matth. 9, 13.* & salvare quod perierat *Matth. 18, 11.* idcirco neq; alia gratia, neq; justificatione opus fuit, ut homo adoptaretur in filium: quia iam tum erat filius a Deo conditus, quemadmodum angeli jure creationis filij Dei appellantur *Iob. 1, 6.* adoptio vero post lapsum demum locum invenit, ubi ex filiis iræ fiunt filii Dei per fidem in Christum *Iob. 1, 12.* Christum autem non venturum in mundum, si homo in integritate sua perstitisset, contra Pontificios & alios nonnullos constanter defendimus: unde etiam post lapsum demum promissus fuit *Gen. 3, 15.* quâ de re alibi plura, frustra contradicente *Pererio lib. 5. in Genes. disput. 2. quest. 5.*

CVII.

Contra cap.
14. Bellar.

Tertiò contra eundem Anonymum disputat Bellarminus cap. 14. requiri ad meritum vitæ æternæ promissionem Dei gratuitam, quod ille negabat, opera bona ex natura sua esse meritoria judicans. Nos hæcenus consentimus, quod vita æterna dependeat à gratuita promissione Dei; de merito vitæ, nihil scimus. Viderit potius Bellarminus, an non sibi ipsi contradicat, nam si gratuitum est promissum, utiq; non est meritum, quod enim ex gratia Dei habemus, id nemo suis potest adscribere meritis. Nam ut Augustin. in *Psal. 43.* loquitur: *Si merita nostra aliquid facerent, ad damnationem nostram venirent:* ergo quia bonus est Deus, non quia meruimus, gratis salvi facti sumus. Et hinc est, quod scriptura passiones nostras nõ condignas esse dicit ad futuram gloriam *Rom. 8.* & in solidum nos alibi ad misericordiam Dei remittit, in quo, quod operibus nostris deest, invenimus. Quo sensu rectè dixit August. in *Ps. 93.* *Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies, æterno labore rectè emitur. verum hoc est, sed noli timere, misericors est Deus.*

CIIX.

Bellarminus distinguit inter opera ex naturâ suâ considerata, remota promissione, & sic nullam eis deberi mercedem fatetur; & inter opera juxta promissionem considerata, & sic dignitatem eis addidit, ut ex iustitia merces æternæ vitæ eis reddenda sit. Verum non attendit, quod promissio illa sit gratuita, quæ non dependet à merito, sed ipsa vita æterna dependet à promissione, quæ cum gratis

ris & absque ullo intuitu ad opera nostra facta; ideo & vita æterna merè est gratuita, quæ non juxta dignitatem operum nostrorum, sed juxta divitias misericordiæ Dei, nobis eam promittentis, confertur. Et quia præstatio hujus promissionis est justitiæ (justum enim est, ut stetur promissis) ideò rectè dictum est à Bernhardo libr. de grat. & lib. arbit. *promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.* Justitiam intellexit, non quæ operum dignitatem respicit, sed promissionis veritatem; Ideo Iohan. Ferus Dominicanus lib. 3. in Matth. cap. 20. gratiam & justitiam hoc in genere conjungit: *Gratis, inquit, promisit, gratis & ex justitia reddit.*

CIX.

Concidit ergo his observatis omnis disputatio Bellarmini, quam cap. 14. movet, *an videlicet Deus vitam æternam bonis operibus reddat ex justitiâ commutativâ, vel distributivâ.* Scriptura respondet, vitam æternam non reddi bonis operibus ulla justitia propriè sic dicta, quia est donum Dei Rom. 6. quod autem Deus donat, id nemini debet ut meritum, nec jure ab eo debitum tale peti potest. Cum autem justum esse dicitur, ut Deus tribulationem patientibus, requiem tribuat 2. Thess. 1, 7. id ad misericordiam Dei potius, quam ad justitiam h. e. ad promissum potius pertinet, quam debitum; quæ promissio cum re ipsa præstatur, quod justum & æquum est, fieri dicitur. Unde Ambrosius in cap. 3. Rom. *Justitia Dei dicitur, quæ videtur misericordia, quia de promissione originem habet. & cum promissum Dei redditur, justitia Dei dicitur: justitia enim Dei est, quia redditum quod promissum est.*

CX.

Postremo loco litigat Bellarminus cum Guilielmo Alstodorense cap. 15. qui bonum opus principaliter à fide, quam à caritate pendere scripsit: Ipse v. non nisi, quatenus ex caritate procedat, meritum esse, ait. Nos, etiam hoc in loco, nihil agimus de meritis: de bonis operibus a. dicimus, quod nullo modo à caritate, sed à fide dependeant. Nā ipsa caritas bonum opus est, & si Deo grata esse debet, ipsam personam oportet placere Deo, quod per fidem fit, sine qua Deo placere impossibile est Heb. 11, 6. Ergo & ipsam caritatem, ut Deo placeat, ex fide esse necesse est. Omnis a. error iste inde est, quod Bellar-

Contra cap.
15. Bellar.

minus

minus formalem causam justificationis nostræ esse putat fidem caritate formatam, & virtutes omnes à caritate moveri atq; formari, ut hoc in loco loquitur. Sed falsissimum est. Primum enim scriptura justificationis nostræ rationem formalem docet consistere in remissione peccatorum & imputatione justitiæ Christi *Rom. 3. 24. cap. 4. 5. 6.* Duo enim sunt in quovis peccato, à quo justificandi, seu absolvendi sumus in judicio Dei, vitium videlicet & supplicium ut Augustin. loquitur *lib. 22. de civit. Dei cap. 24.* illud tollitur imputatione justitiæ Christi, hoc remissione peccatorum.

CXI.

Deinde scriptura testatur, fidem nequaquam formari caritate. 1. habet enim fides in se formam suam constituentem, videlicet receptionem Christi *Iob. 1, 2.* recipere enim Christum idem est, ac in Christum credere, ut ipse Bellarminus fatetur *lib. 1. de justis. cap. 15. 2.* qui etiam negare non potest, fidem sine dilectione non desinere esse fidem *lib. 2. de justis. cap. 4.* ergo habet formam suam absq; dilectione, quia forma dat esse rei. 3. excluditur caritas à justificatione, dum fidei justificanti opponitur *Rom. 3.* quomodo ergo fidem justificantem informare potest? 4. fides est in intellectu, caritas in voluntate: ergo una alteram informare non potest, ex hypothese Bellarmini *lib. 1. de justis. cap. 7.* ubi scribit, unam virtutem non posse esse in potentiis diversis, genere distinctis. 5. caritas est fidei effectus, & ut omnes aliæ virtutes, ita & ipsa sine fide Deo placere non potest *Heb. 11, 6.* ergo non potest esse ejusdem forma. 6. fides non est ex lege, ideo dicitur legem non esse ex fide *Galat. 3, 12.* Caritas autem est ex lege, quia tota in operando consistit: ergo caritas informare non potest. Et quæ sunt rationes aliæ, de quibus alio loco,

CXII.

Denique & hoc falsum est, quod virtutes omnes à caritate moveantur atque formentur. Quæ propositio Bellarmino adeo placuit, ut & fidem à caritate moveri asseruerit, in quem finem locum Apostoli corrupit, qui cum scripserit *Gal. 5, 6. πίστις δι' ἀγαπῆς ἐνεργεῖται*, fides per caritatem operatur, ut opinioni suæ ex hoc textu, sibi in solidum adverso, patrocinium quærat, solacium committere non erubuit, *lib. 2. de justis. cap. 4.* hoc enim

Pau-

Paulum velle, ait, fides per caritatem *operatur*, passive, hoc est, agitur ac movetur à caritate: cum neque latina vox, *operatur*, neque græcum *ἐνεργεῖ* uspiam significationem habeat passivam: active autem in media *διαθέσει* septies à Paulo usurpatur *Rom. 7, 5. 2. Cor. 1, 6. 4, 12. Eph. 3, 20. Col. 1, 29, 1. Thess. 2, 13. 2. Thess. 2, 7.* semel etiam in Iacobo *cap. 5. 16.* Nulla vero litera probat Bellarminus, quod omnes virtutes moveantur ac formentur à caritate, sed caritas potius agitur à fide, quæ nunquam otiosa est, nec mortua, ideo per caritatem operari dicitur, *Gal. 5, 6.* & filii Dei, quales sunt omnes benè operantes dicuntur agi à Spiritu Dei *Rom. 8, 14.*

CXIII.

Quod autem in dictis à Bellarmino allegatis, ut *Ioh. 14, 21. Matth. 5, 8. Ioh. 17, 3. 1. Ioh. 3, 2. 1. Cor. 2, 9.* & caritati beatitudo promittitur, hoc non ideo fit, quod caritas sit forma fidei & virtutum reliquarum, sed quia nota est eorum, qui beatitudinem æternam sunt possessuri. Nam non nisi diligentes Deum, ab ipso diliguntur, ita tamen ut ipse eos prior diligit: sicut scriptum est: nos diligimus eum, quia ipse prior dilexit nos *1. Ioh. 4, 10.* non nisi mundi corde beati prædicantur, non nisi diligentibus Deum præparata est vita æterna, ubi dilectio & mundities cordium non est causa efficiens beatitudinis, sed descriptio beatorum.

CXIV.

Aliàs opera nostra omnia ad Deum esse dirigenda, ejusq; gloriam unice quærendam, libenter admittimus: ita enim D. Paulus nos expressè docuit: omnia ad gloriam Dei facite *1. Cor. 10, 31.* & quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo ac Patri *Col. 3, 17.* & qui propter nomen, Christi relinquunt suos carissimos, his vita promittitur æterna *Matth. 19, 29.* Nullum autem meritum ex hac caritate Dei eliquari potest; quia Deus ultimus noster finis est, ad quem tendere debent nostra omnia, etiamsi nulla inde recompensatio expectanda sit, qua tamen ex gratuito Dei promisso non destituentur omnes, qui sincero amore in Deum faciunt, quod pios decet. Pietas enim ad omnia utilis est, promissionem habens hujus & futura vitæ *1. Tim. 4, 8.* Tantùm etiam de altera parte tractatus Bellarminiani, circa meritum operum.

CAPUT XI.

De merito Congrui & Condigni.

CXV.

Hactenus ipsam substantiam, ut ita loquar, Meriti consideravimus: jam de Qualitatibus ejus agendum restat. Quo quidem labore, quantum ad nostras spectat Ecclesias, supersedere possemus, cum ex præcedentibus constet, merita nostra apud Deum nulla esse: quia tamen Bellarminus, cujus filum sequimur, nos ita ducit; paucis etiam hanc tractatus sui partem perlustrabimus, ut & Spiritus contradictionis & impietas Papistica in hoc doctrinæ genere magis magisque innotescat.

CXVI.

Triples Pontificiorum meritum. Meritum congrui. Meritum digni. Meritum condigni.

Triples autem meritum constituunt Pontificii, ut sæcundus error est, quemadmodum videre licet apud Bonaventuram *lib. 3. dist. 4. quest. 5.* meritum videlicet congrui, digni & condigni. *Meritum congrui* ipsis est, in quo peccator dicitur gratiam sibi mereri, cum ad gratiam se disponit. *Meritum digni*, in quo scilicet vir justus operatur & orat pro alio & meretur exaudiri, ut quando Stephanus oravit pro sancto Paulo. *Meritum condigni est*, quo quis ex tanta caritate meruit tantam gloriam. Et ut manifestior sit impietas, exemplum addit de beata matre Domini. *Beata virgo*, ait, meruit merito congrui concipere filium Dei ante incarnationem, quoniam præ nominia sua puritate & humilitate & benignitate idonea erat, ut efficeretur Dei mater: post annunciationem vero postquam consensit, & Spiritus S. in copiositate gratie in eam descendit; ideo non solum habuit congruitatem, sed & dignitatem, & ex tunc meruit non solum merito congruitatis, sed dignitatis obumbrari & imprægnari virtute altissimi. Sed merito condigni non potuit mereri concipere filium Dei, pro eo, quod hoc excedit omne meritum, & etiam, quia erat ipsius meriti virginis gloriose fundamentum. Hæc Bonaventura, ex quo apparet, Romanenses (nisi doctorem hunc, quem alias Seraphicum vocant, rejicere velint) merita sua, non tantum ad justificationem & vitam æternam referre, verum etiam ad alia quædam, quæ non cuivis obtingunt extendere.

tendere. Idem de Maria habet *Nicolaus de Nyse tract. 5. part. 2. part. 3. quest. 5.* Sed refutatur à *Gauielmo Parisiensi* qui scribit: *dicitur, parere meruit regem cœlorum & Dominum, cum revera nulla merita ad hoc unquam attingere potuerint, nec unquam vel ipsi vel alij hoc deberi potuerit, ut Mater Dei fieret.*

CXVII.

Bellarminus in sua de meritis operum controversia tantum Meritum de Congruo & Condigno attendit. Meritum congrui est peccatorum seu non renatorum, quod, definiente Thoma primâ secundâ quest. 2. procedit ex libero arbitrio; *Congruum enim, inquit, est, ut dum homo virtute liberi arbitrij bene utitur, Deus secundum excellentiam excellentis suæ misericordiæ operetur.* Meritum condigni est renatorum & per spiritum Dei operantium, seu ut Bonaventura 1. sent. dist. 41 quest. 1. describit, quando justus operatur pro se ipso, quia ad hoc ordinatur gratia ex condigno. Alii clarius rem explicantes, dicunt meritum congrui esse actum ex voluntate hominis elicitum, acceptum à Deo ad aliquid retribuendum, non quidem ex debito justitiæ, sed ex sola acceptantis liberalitate. Meritum condigni, vocant actum justorum per gratiam Dei à voluntate elicitum ad præmium sive mercedem, secundum debitum justitiæ retribuendum.

CXIX.

De his Meriti specibus variè disputatur, de quibus videatur *Contra cap. inter cœteros D. Iohan. Altenstaig* in Lexico Theologico recens edito voce *Meritum* fol. 546. Bellarminus tres movet hac de re quæstiones, quarum primam cap. 16. ventilat, *an nimirum meritum justorum sit dicendum ex condigno, an ex congruo*: ubi primum diversas, Pontificiorum opiniones (pro suo nimirum tantoperè prædicato consensu) recitat, deinde suam sententiam exponit, & tueri conatur contra reliquos, quod nimirum *merita nostra, sicut etiam verè dicuntur munera Dei, tamen non minus rectè dicuntur esse ex justitiâ & ex condigno.* Postea Durandum aliter sentientem refutare tentat.

CXIX.

Nos altercationes Pontificiorum de hac quæstione suis autoribus relinquim⁹: de Bellarmini v. sententia duo notam⁹, i. quod sibi *Contradi-ctio Bellar.*

ipfi non consentiat. Nam hoc in loco scribit, merita justorum rectè dici esse ex justitia & ex CONDIGNO, Sed in *judicio de Form. Concord, mendac. 8.* scribit: quod istis etiam operibus, quæ fiunt ex fide, & auxilio Dei non tale tribuunt meritum, ut ei respondeat ex justitia merces: sed meritum solum impetrationis, ut Augustinus loquitur, quo Scholastici meritum de CONGRUO, NON DE CONDIGNO appellare solent. Hoc in loco sententiam Theologorum, (intellige Pontificiorum) communem vocat, meritum de condigno: in *judicio for. concord.* urget meritum congrui, & nõ condigni. & in hoc ait nullam esse inter Catholicos dissensionem. Tam belle sibi constat. 2. Communem illam, quam vocat, Theologorum sententiam de merito condigni indignè probat ex scripturis istis, quibus jubemur dignè ambulare Deo, *Col. 1, 10.* & digni dicimur haberi regno Dei *2. Thess. 1, 6.* & sancti ambulare dicuntur in albis, quoniam digni sunt. Sed ad hæc supra cap. 2. respondimus: quod nimirum τὸ ἀξιῶν in allegatis dictis idem sit, ac conveniens esse, & decere: sicut usurpatur *1. Cor. 16, 4.* & *Matth 10, 37.* Ita jubemur dignè ambulare Deo, hoc est, ut decet filios Dei: digni habentur sancti regno Dei, & ut ambulent cum Christo, id est, decet, congruum est, ut electi partem habeant in regno Dei, & à Christo non separentur. Nihil hîc audis de merito: nihil de condigno, sed potius de congruo & decoro.

CXX.

Circa Durandi sententiam notandum est 1. quod Bellarminus eam minimè reprobendam censet, si nihil aliud vellet, nisi merita nostra esse ex condigno, sive ex justitia absolutè, sed tantum ex hypothesi, id est, positâ liberali Dei promissione. Probat ergo Bellarminus ibi, quod seq. cap. 17. improbat & refutat, dum ostendere conatur, opera bona justorum esse meritoria ex condigno, NON SOLUM ratione pacti, seu promissionis, sed etiam ratione operum. Hîc verò probat si dicatur meritum esse ex condigno, TANTUM ex promissione. 2. Sententiam Durandi pijsimam, quod opera ex gratiâ Dei procedentia non sint talia, ut eis ex justitia debeatur merces, sed ex solâ Dei liberalitate, refutare audeat iis argumentis, quibus pugnasse se dicit adversus

sus hæreticos pro operum meritis. Sed quomodo pugnarit, & quid expugnarit, ex iis constat, quæ supra contra hunc hæreticum (hæreticos enim vocat Augustinus defensores meriti epist. 46.) disputavimus.

CXXI.

Audiamus, quid hoc in genere contra Durandum afferat. Dixit Durandus, temerarium & blasphemum esse dicere, Deum fore injustum, quod meritis hominum justorum non reddat mercedem promissam. Regegit Bellarminus, non esse pium & sanctum dicere, Deum fore injustum, si non servaret promissa, idque probat iis scripturis, quæ Deum in promissis veracem esse adfirmant. At vero hoc non erat in quæstione, Bellarmine: Sed an non blasphemum sit, dicere Deum injustum, si MERITIS hominum non reddet mercedem promissam? Ita certè statuendum esse judicamus, cum nemini quidquam debeat: nam promissio Dei est gratuita, non meritoria: ideo gratia Dei, & opera fidelium, quæ Bellarminus vocat merita, opponuntur *Rom. 11, 6. Ephes. 2, 8.* Omnino ergo temerarium & blasphemum est, exigere à Deo ut debitum meritorum nostrorum, quod ipse nemini debens gratuito promisit piis. Cum autem scriptura dicit, non injustum esse Deum, qui obliviscatur operis nostri & laboris *Heb. 6, 10.* minime sequitur injustum eum fore, si secus faceret. Nam ut supra quoque in loco simili *2. Thess. 1, 6.* exposuimus, justitia Dei ibi intelligitur, non de æternâ & immotâ justitia Dei, quæ requirit proportionem, inter meritum & debitum; sed de veritate, quæ in servandis promissis requiritur. Est enim justitia Dei interdum idem ac veritas ejus, ut *Psal. 5, 9, 31, 2: 32, 28: 143, 7. &c.* Eodem modo Augustini dicta, ab adversario allata, sunt intelligenda.

CXXII.

Dixit Durandus secundo loco, non extare in sacris promissionem quæ Deum obliget ad reddendam mercedem, sed tantum, quæ doceat, Deum ordinasse ac disposuisse vitam æternam dare iis qui mandata servaverint: quod nos verissimum judicamus. Respondet Bellarminus, omnem promissionem secum ferre obligationem. Concedimus hoc, sed non obligationem SECUNDUM MERCEDEM propriè sic dictam. Est enim etiam promiss-

promissio gratuita, quæ obligat quidem, sed non ex justitiâ, quæ proportionem servat et æqualitatem inter promissum & meritum, verum ex gratia, locum habet etiam absq; ejusmodi proportionem. Si quid vero promittitur operantibus aut diligentibus Deum, id non propter dilectionem fit, sed propter Dei misericordiam, quâ remunerat benè operantes.

CXXIII.

Tertium Durandi objectum fuit; Paulum 2. Tim. 4. illis verbis: *Quam reddet mihi in illâ die justus judex*, rectè dicere, *justus judex* quia Deus, qui reddit præmia justis & pœnas injustis, justus est, & misericors, & ut justus justo judicio pœnas reddit injustis, ut misericors, liberaliter præmia tribuit justis. Regerit Bellarminus: *Pauli verba ita intelligenda esse quod Deus ex justitiâ, non ex solâ liberalitate Paulo redditurus sit, quia boni certaminis & coronæ justitiæ mentionem faciat, & supervacaneum esset illud, justus judex, si præmia, ut liberalis donator effunderet, & quia alibi justum esse apud Deum dicitur, ut bona opera remuneret 2. Thessal. 1. &c.* Verum jam ante diximus, quomodo Deus justus sit in remunerando pietatem, quia nimirum remunerationem illam promisit, quam promissionem, ut re ipsa præster, justum est. Distingvendum ergo inter justitiâ legalem & Evangelicam: illa pœnas reddit injustis, hæc præmia justis; illa dependet ex debitoris impietate, hæc ex Dei promittentis veritate. *Certaminis autem & coronæ meminit, quia datur certanti & vincenti 2. Tim. 2. 5. coronam justitiæ vocat, quia Christus eam acquisivit & Deus eam gratuito promisit: redditur illa corona, non propter nostra merita sed propter gratuitam Dei promissionem: debitor enim se nobis facit Deus, non aliquid à nobis accipiendo, sed omnia nobis gratis promittendo.*

CXXIV.

Quartò scripsit Durandus nos non posse Deo reddere, quæ illius sunt nedum amplius aliquid, cum omnia sint ipsius; ergo non posse nos ex justitiâ mercedem ab eo petere. Excipit Bellarminus: *absolute nos non posse à Deo aliquid exigere, sed posita ejus voluntate & pacto posse: respondeo: possumus utique sed non ut mercedem, aut debitum, sed ut promissam gratiam & donum quem-*
admo-

admodum brabeuta brabeum currenti donat, non propter meritum sui cursus, sed quia rectè currenti liberaliter promisit. Apparet ex his omnibus, Bellarminum neque meritum condigni probasse, neque Durando rectè respondisse, quod quidem hoc in capite proposuerat.

CAPUT XII.

*An opera justorum meritoria sint ex condigno,
non solum ratione pacti, sed etiam
ratione operum?*

CXXV.

Hic iterum altercatur Bellarminus cum suis hominibus, ut Cajetano, Scoto, & Vega, qui quidem omnes opera justorum faciunt meritoria, sed ille tantum ratione operis, nulla interveniente divina conventionem: hi duo ratione pacti tantum & pactiois divinae; quæ sententia parum abest à nostra: tantum quod ex operibus facit merita: nos propriè sic dicta merita non agnoscimus, eo ipso, quod ex gratuita Dei conventionem acceptantur, nullamq; ad justitiam Dei proportionem habent. Calumniam, quam hoc in loco adspexit Bellarminus, quasi bona opera in se peccata esse censeamus, auctori suo remittimus, ut in superioribus satis refutatam.

*Contra cap.
17. lib 5. de
justif. Bell.*

CXXVI.

Bellarminus mediam sententiam hic se tenere ait. Ubi in eo quidem, quod existimat, bonis operibus vitam æternam non deberi, remoto pacto vel promissione, facile consentimus: concedimus etiam, quod addit, filium Dei adoptivum per bona opera sine pacto, vitam æternam non mereri ut hæreditatem; sed quod addit, *mereri tamen eam non amittere*, id v. admittere minimè possumus. Nam bona opera justorum conditio quidem sunt, sine qua vitam æternam retinere non possumus: non autem merita, ut ex cidamus hæreditate, mereri possumus impietate nostra; ut autem perseveremus in ea nequaquam meremur pietate, sed utrobique gratia Dei regnat, & ut vitæ æternæ hæreditatem consequamur: & ut ea perfruamur.

Opi-

Opinionem ejus propriam, quod videlicet opera bona sint meritoria ex condigno, non solum ratione pacti, sed etiam ratione operis, ita ut in opere bono sit quaedam proportio & æqualitas ad præmium vitæ æternæ, impiam satis esse judicamus. Nam fundamentum vitæ æternæ magis ponit in opere justorum, quam in promissione Dei, quod scriptura simpliciter negat, cum nos non ex operibus, sed ex dono Dei salvatos ait *Ephes. 2, 8.* proportionem & æqualitatem operum nostrorum & vitæ æternæ constituit, cum scriptura clarè dicat, passionem justorum (sic & opera justorum) non esse condignas ad gloriam, quæ revelabitur in nobis *Rom. 8, 18.* & cur quæso vocatur promissio vitæ æternæ gratuita, si ipsa vita æterna operibus nostris proportionata & æqualis est? & ubi tandem oppositio gratiæ & operum, quam Paulus habet *Rom. 11, 6.* relinquatur, si opera nostra, cum ipsa vita æterna conferri queunt? Unde Augustinus scripsit, *lib. 1. confess. 4.* Deum nulli debentem reddere debita: & *serm. 16. de verb. Apostoli:* non dicimus Deo, redde, quia accepisti, sed redde, quia promisisti.

Ad locum Pauli *Rom. 8.* respondet Cardinalis *cap. 18.* loqui Paulum de meritis secundum substantiam operum, non ut à Spiritu sancto & gratia Dei proficiuntur; quod falsum est, agit enim de passionibus nostris in genere, quas ad gloriam vitæ æternæ esse dignas ait; quo pacto Fulgentium intelligere locum Apostoli non negat Bellarminus; sed ait, *ad meritum ex condigno æqualitatem proportionatam satis esse, non absolutam requiri.* Quod si maximè verum esset, nulla tamen esse potest æqualitas proportionata inter opera à Spiritu S. profecta, & inter vitam æternam: quia illa imperfecta sunt, multisque contaminata peccatis, & aliàs debita: hæc autem nihil admittit immundi, adeò ut vitam æternam æternum exulandum sit, nisi Dei misericordia intervenerit.

Contra cap. 17. & 18. lib. 5. de Justif. Bellar. Hinc etiam responsio patet ad dicta Patrum, quam Bellarminus ibidem habet. Ait enim Deum nobis reddere debita nil debentem, quia nihil debet absolute, sed solum ex promissione: quod

quod verissimum esse putamus, sed si solum ex promissione, ergo non operum ratione, quod tamen Bellarminus sibi probandum sumserat contra Scotum & Vegam. Observa ergo quoties sibi Bellarminus hoc in loco contradicat, & hinc de ejus Theologia judica. *Primum* probare conatur cap. 17. non solum ex promissione seu pacto, sed etiam ratione operum, justorum opera esse meritoria; & cap. 18. Deum nihil absolute, (hoc est, non ratione operum) sed **S O L U M** ex promissione & dono suo nobis aliquid debere. Deinde in eadem periodo. Primum debiti divini fundamentum in promissione ejus consistere: ergo non in sola promissione, ut antea, dicebat. Usque adeo sese intricat hic justitarius, ut nunquam se extricare possit. Idem esto iudicium de reliquis in cap. 18. ubi distinctio inter æqualitatem absolutam & proportionatam subinde recurrit; de qua jam in præcedentibus egimus.

Contradictiones Bellarmini.

CXXX.

Et si ergo opinio Bellarmini satis sit improba, & à fidei suæ sociis jam pridem improbata: nihilominus tamen eam roborare audeat aliquot argumentis sub fin. cap. 17. quæ paucis examinare placet. Primum ait: *vita eterna est gratia pro gratia, Iob. 1 v. 17. id est* (ut ipse quidem interpretatur) *gratia mercedis pro gratia meritorum: at inter gratiam & gratiam sine dubio magna similitudo & proportio est.* Respon. Est autem *ψευδωνμία* loci Apostolici. Nam apud Johannem gratiam pro gratia ex plenitudine Christi accepisse legimus, sed non gratiam mercedis, pro gratia meritorum: hoc enim adversatur fini incarnationis Christi, qui venit præstare loco nostro id, quod nobis erat impossibile: ideo Paulus expressè scribit, frustra Christum fuisse mortuum, si ex lege est justitia, *Galat. 2.* hoc est, si aliqua sunt operum nostrorum merita; & quod impossibile fuit legi, cum infirmaretur per carnem, Deum fecisse scribit, misso filio in similitudine carnis peccati, *Rom. 8, 3.* Sed gratia pro gratia vel per Hebraismum dicitur, hoc est, accumulata gratia, vel ut Theophylactus exponit, gratia Novi Testamenti, pro gratia Testamenti veteris: vel etiam gratia sanctificationis ex gratuito dono justificationis oriunda: inter quæ duo est quidem

Argumenta Bellar: quod opera sint meritoria etiam respectu sup.

Quid sit gratia pro gratia.

dem proportio aliqua, sed extra nos; in nobis vero consideranda omnem proportionis rationem ad gratiam vitæ æternæ propter summam imperfectionem & contaminationem ad hærentis peccati amittit. Quod autem Augustinus gratiam pro gratia exponit mercedem pro justitia, illud improprie fit, mercedem enim vocat vitam æternam, quia datur pro caro pretio meriti Christi; justitia dicuntur nostra opera, quia sunt justorum opera & ex gratia Dei facta, quibus illa gratuita merces ex promissione Dei debetur. Et sic Augustinus seipsum explicat lib. de gratia & libr. arbit. cap. 9. *Unusquisque proprium donum habet, inquit, à Deo, alius sic, alius autem sic, & ipsa est gratia, & insuper accipimus & gratiam pro gratia quando nobis vita æterna reddetur.* Nihil audis vel de mercede proprie sic dicta, vel de proportionem operum nostrorum ad vitam æternam.

CXXXI.

Secundo ait: *vita æterna est flumen latificans civitatem Dei, Psalm. 45. gratia vero bene operandi est fons salientis aque in vitam æternam, Iohan. 4. at fons proportionem habet ad flumen, imò totum flumen virtute continet, & præterea proportio est inter descensum & adscensum aque, & quæ leptologiæ sunt aliæ. Ergo est proportio inter opera nostra & vitam æternam.* Respon. 1. Scriptura allegorica non est argumentativa, & similitudines nihil probant, sed illustrant tantum: neque similitudo illa quò ad proportionem instituta est, sed quò ad dulcedinem & effectum utriusque: non autem necesse est, ut similitudines per omnia congruant, *ἀεὶ μὲν δὴ οὐ γὰρ τὸ ὄψιδεν μαρτυρεῖ μὴ καὶ πᾶσι καὶ ἡ γὰρ*, inquit Justinus. 2. juxta hanc similitudinem, bona opera ex gratia facta non tantum proportionata essent ad vitam æternam, sed & ea potiora, sicut fons potior est fluvio ex fonte oriundo, quem, ut Bellarminus loquitur, totum in se virtute continet. 3. Confert Bellarminus vitam æternam, cum gratia bene operandi, inter quæ duo proportionem esse non negamus, est enim gratia divina: nos autem quærimus de proportionem ipsorum operum ad vitam æternam. Est ergo argumentum hoc prorsus impertinens.

CXXXII.

Tertium ejusdem ferè fursuris est: *Denarius, inquit, diurnus laborum*

laborantium in vinea est vita aeterna. At denarius diurnus justum est pro-
rium laboris diurni, quia solet ordinariè ex communi aestimatione respos-
dere labori diurno. Respon. 1. Scriptura parabolica non est argumen-
tativa. 2. dubium est an denarius ille diurnus in parabola de vi-
nea, notet vitam aeternam. Certè Irenaeus lib. 4. cap. 70. per imagi-
nem & subscriptionem regis, agnitionem filii Dei intelligit; Hi-
larius can. 20. in Matth. obedientiae praemia in genere; Gregor. Ma-
gnus lib. 35. Moral. cap. 12. decalogi compensationem: Lyra & alii
dona Dei gratuita; neque contextus, aut emphasis vocis cogit,
ut vitam aeternam per denarium intelligamus. 3. In parabolis pre-
cipuus scopus considerandus est, non singula urgenda vocabula.
Scopus autem parabolae de vinea est, Deum pro sua bonitate di-
stribuere munera inter homines, non pro ipsorum laboribus aut
meritis, qui scopus ex textu facile ostendi potest, & Pontificio-
rum disputationi de meritis è diametro est oppositus. 4. Si maxi-
mè denarius diurnus significaret vitam aeternam & responderet
labori diurno: non tamen locum haberet ista proportio in omni-
bus, qui in vinea laborant: quia iis etiam, qui non diurnos, sed vix
unius horae labores sustinuerunt, idem datur denarius. Apparet er-
go quam infirmum sit paraboliceum hoc argumentum.

CXXXIII.

Quartò aliam affert allegoriam: *gratia, inquit, est semen glo-*
riae, juxta illud, 1. Iohan. 3. semen Dei manet in eo. at semen non est quidem
aequale rei cuius est semen, quo ad molem, est tamen aequale quo ad virtu-
tem. Respon. 1. In eundem impingitur lapidem, quod ex allegoria
petitur argumentum. 2. non quaeritur de proportione gratiae &
vita aeternae, sed operum ex gratia factorum & vita aeternae. 3. im-
pium est affirmare cum Bellarmino caritatem Dei in corde diffu-
sam, hoc est, bona justorum opera gloriam vita aeternae virtute
in se continere. Si enim hoc verum est, sequitur, promissione vi-
ta aeternae opus haud fuisse, nec promissionem istam fuisse gra-
tuitam, frustra; scripturam meritum seu opera etiam justorum
opponere gratiae, Rom. 11, 9. nam quod in ipsis operibus jam virtute
est, nullo modo ab alio dependere potest principio.

K 2

CXXXIV.

CXXXIV.

Quintò ait, vitam æternam esse actionem supernaturalem, meritum quod in dilectione consistit itidem, igitur proportionem inter se habere. Resp. 1. novum quid est, vitam æternam per actionem definire, 2. Si maxime & vita æterna & bona opera sint supernaturalia, in eo tamen nulla proportio consistit, de qua hinc quaeritur: non enim agimus de qualicunq; similitudine, quæ inter utrumque ratione objecti aut principii efficientis & formalis institui potest; sed de ejusmodi proportione, quæ quandam inter utrumque æqualitatem constituat, ut unum altero ex justitia dignum sit: cujusmodi proportionem nondum ab Adversario probatam vidimus.

CXXXV.

Sextò. Non defuit Deo, ait Bellarminus, sapientia & potestas, quæ electis merita donaret, quibus verè & proprie atque adeo ex condigno perveniant ad coronam; ergo & fecit istud. Respon. A posse Dei ab ipsius factum non valet consequentia. Potuit, si voluisset, respondit olim in re simili Tertullianus Praxeæ cap. 10. Deus pennam hominem ad volandum instruxisse potuit, quemadmodum & milvis prestitit: non tamen quia potuit, statim & fecit: & si tam abruptè in his presumptionibus nostris ut amur hanc sententia, quidvis Deo consingere poterimus, quasi fecerit, quia facere potuerit.

CXXXVI.

In postremo argumento prorsus impudens est Bellarminus. Dicit Christum meruisse nobis virtutem merendi, & nos mereri ut membra viva Christi & per influxum, quem ab illo, ut capite nostro recipimus: Detrahi igitur de gloria Christi, si merita nostra sint ita imperfecta, ut non sint merita ex condigno, nisi ratione acceptationis Dei. At verò qua ratione probatur, quod videlicet Christus nobis virtutem merendi meruerit, vel quod nos mereamur? Meræ hæ sunt petitiones principii. Christi meritum ad vitam æternam impetrandam sufficit, & si nobis quoque virtutem promerendi eam meruisset, non sufficeret. Nostra vero merita universa negat scriptura, ut supra ostendimus. Multum ergo detraheretur de gloria Christi, si non ipsi soli meritum salutis nostræ adscriberemus, siquidem ipso

ipse testatur, se torcular calcasse solum, & de gentibus non esse
virtutem secum Esa. 63, 3. Sed satis etiam de hoc capite, ubi, quam
lubrica fulcra suæ opinioni subtraverit Bellarminus, audivimus,
quæ sanè omnium suorum etiam hominum censuras sustinere
minimè possunt.

CAPUT XIII.

*An Deus remuneret opera bona supra
condignum?*

CXXXVII.

De hac quæstione litigat Bellarminus cap. 19. cum Andrea
Vega, & doctore quodam alio Lovaniense, contra quos asserit, o-
pera bona justorum in die iudicii extremi amplio rem acceptura
mercedem, quam iusto Dei iudicio mereantur accipere. Quæ
opinio extremè impia est, quæ opera hominum multis modis im-
perfecta etiam supra iustitiam Dei extollit, quasi is non tantum
quod merentur, sed & plura quam merentur eis retribuere te-
neatur. Cui impietati solidè contradicit Gabriel Biel lect. 59. super
can. Missæ. Si Deus per unicum duntaxat instans conferret homini beati-
tudinem, claram scilicet Dei visionem & concomitantem fruitionem, suf-
ficienter remunerasset omnia opera bona, quæ homo toto vitæ sue tempore
perfecisset propter magnam perfectionem beatitudinis & immoderatum
excessum super omnia opera nostra. Imò à se ipso etiam dissentit Bel-
larminus, nam si bona opera merentur supra condignum, non
possunt ipsa mereri ex condigno, quod hæcenus asseruit.

CXXXIIX.

Et tamen audent hanc crudam assertionem probare ex scri-
pturis illis, quibus dicitur mercedem nostram copiosam esse in
cælis, Matt. 5. mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, &
superfluentem dare in sinum nostrum, Luc. 6. quod servo fideli
extraordinario munere datur mina, quæ fuerat ablata à servo in-
fideli & pigro, Luc. 19, 25. & quod laborantibus in vinea non diem

K 3

integrum,

Contra ca. 19
lib. 3. de iu-
stif. Bellarm.

An opera me-
reantur supra
condignum.

Integrum, solvitur tamen denarius diurnus, *Matth. 20.* & fortassis
addit, huc etiam pertinet illud Apostoli, *Rom. 8.* non sunt condi-
gnæ passionēs, &c. Ex Basilio quoque & Fulgentio affert, Deum
requiem æternam non secundum, operum debitum ac meritum
retribuere, sed juxta magnificentiam suam his, qui in ipsum spe-
raverunt, exhibere.

CXXXIX.

Videt autem Lector, hæc omnia meritis operum de condi-
gno rectissime opponi. Nam nihil aliud in locis allegatis fit, quam
quod abundantissima Dei misericordia prædicatur, qui bene o-
perantibus vicissim benefacit, non secundum meritum operum
suorum, sed pro sua bonitate atque gratia, cujus divitiæ exube-
rant, ut Fulgentius loquitur, ut in comparabiliter atque in effabi-
liter omne meritum quantumvis bonæ atque à Deo datæ huma-
næ voluntatis atque operationis excedant. Quæ sanè omnia me-
riti Pontificii jugulum petunt, & liberalissimam Dei misericor-
diam erga pios stabiliunt.

CXL.

*De pœnis da-
mnatorum in
inferno, an
sint ex con-
digno.*

Circa finem hujus capituli damnatorum in gehenna patro-
num agit Bellarminus. Disputat enim an Deus operibus malis
pœnam reddat citra condignum, hoc est, ita ut pœna minor sit,
quam culpa fuit. Scholastici nonnulli olim negantem tenere sen-
tentiam, ex quibus *Bernhard. de Bvstis part. 2. Rosarii serm. 20.* scribit:
*Culpa mortalis ex condigno meretur penam æternam, quia offendit Deum
infinitum, & privat animum bono infinito.* Bellarminus quanquam id
incertum esse putet, ipse tamen in affirmantem sententiam de-
scendit, & quæ contra illam opponi possent, refutare conatur. Mi-
ra autem res est, operibus bonis tribuere meritum ex justitiâ, a-
deo ut inter ista duo sit exacta proportio & æqualitas: operibus
vero malis minus tribuere meritum, quam justitiâ Dei requirit.
Usque adeo diligunt hypocritæ qualemcumque suam opellam,
& in peccatis sibi ipsis blandiuntur, meramque Dei misericordi-
am sibi imaginantur. Etsi enim Deus misericors & clemens est,
qui ignoscit peccata pœnitentibus, æquè tamen justus est, ac mi-
sericors: misericordia & ira ab illo citò proximant, & in pecca-
tores

roses citò respicit ira illius, *Syr. 5, 7*. Misericordia ejus locum habet
in hoc seculo, ubi locus est poenitentiae: in die judicii nulla erit
misericordia adversum eos, qui poenitentiam hie non egerunt.
Erit enim judicium sine misericordia ei, qui non fecerit miseri-
cordiam, dicente Jacobo *cap. 2, 13*. nec dabitur potestas exeundi e
carcere infernali, donec novissimus quadrans fuerit solutus, *Matt.*
5, 27. Falsum autem est, quod Bellarminus scribit, quod Deus, cum
peccatores judicabit, citra condignum fortasse, judicaturus sit,
sed post sententiam latam nihil unquam de sententia minuitu-
rus. Nam qualis executio est sententiae, talis sententia erit ipsa:
& cum justitia dei pugnaret, si quem puniret mitius, quam fuit
promeritus. Hic ergo confugiamus ad ejus misericordiam,
ne in judicio illo tremendo ejus experiri cogamur justi-
tiam.

CAPUT XIV.

*De iis, quae Pontificii cadere putant sub meri-
tum de condigno.*

*Contra ca. 20.
lib. 5. de justi-
fic. Bellarmino.*

CXLI.

Quinq; res, ait Bellarminus, in dubium vocari posse an ca-
dant sub meritum de condigno, videlicet, vitam aeternam, gratiam
justificationis, gratiae incrementum, reparationem post lapsam, & perseve-
rantiam in fide & caritate usq; in finem. De vita aeterna statuit, quod
ea tum quoad primum gradum, tum quoad ceteros reddatur bo-
nis meritis filiorum Dei. Opponimus a. huic opinioni ea omnia, quae
supra meritis operum fuere opposita: vita aeterna nominatur do-
num Dei, quod quoad omnes suos gradus gratis nobis obvenit. Et
quanquam gradus gloriae secundum laborem hominum distribu-
tur, illa tamen distributio erit gratuita, siquidem omnes omnium
sanctorum labores ne infimum quidem gradum gloriae ad aequa-
re, aut promereri possint. Neq; ullo modo admittere possumus,
quod

quod vita æterna duplici titulo detur, titulo videlicet hæreditatis, & titulo meritorum, ut Bellarmino placet: quò in genere nonnullos ex Pontificiis contradicentes habet, ut ipse fatetur. Nam Christus jubet electos *κληρονομήειν* hæreditare regnum patris, non promereri, *Matth. 25.* & retributio bonorum operum vocatur merces hæreditatis, *Col. 3, 24.* hoc est, gratuita merces, quæ laborantibus quidem datur, sed non ut meritum, verum ut gratuitum promissum, sicut filii nascuntur hæredes paternorum bonorum, quæ obedientia sua non merentur, licet non nisi morigeris liberis hæreditas sit expectanda, qua immorigeri excidunt. Et huc pertinent omnia dicta à Bellarmino citata, quæ non notant meritum, seu causam vitæ æternæ, sed describunt subjectum, seu eos, quos Deus vita æterna dignos judicat: tales sunt, qui mandata eius observant, qui suos etiam carissimos propter ipsum delinquant, qui tentationes patienter sufferunt, qui seminant in spiritu, qui bonum operantur ex animo, & quæ sunt hujus generis plura.

CXLII.

Quod autem de infantibus addit, quod eis præstent adulti in cælo, non solum quod amplio rem gloriam obtinebunt adulti, sed etiam, quod ipsam gloriam & primum ejus gradum habebunt infantes solo jure hæreditatis, adultis vero gloria illa simul erit & patris hæreditas & corona victoriæ: id absque scriptura & non sine injuria in meritum Christi dicitur. Ortum enim suum habet ex lacunis Scholasticorum, qui majorem electis honorem & gloriam tribuerunt, per bona opera, quam gratis acceperint. Ideo Pelbertus de Temesvár, in pomar. serm. scripsit: *Pueri post baptismum mox decedentes, minimum honoris in cælo habebunt, eò quod propria merita nulla habuerunt, sed tantummodo in merito Christi salvati sunt.* Annon vero blasphemum est, plus tribuere meritis propriis, quam merito Christi? cum tamen scriptura meritis nostris nihil prorsus; merito autem Christi omnem salutem nostram adscribat.

CXLIII.

De gratia justificationis docet Bellarminus cap. 21. eam non posse obtineri neque ex condigno, neque ex congruo meritis operum.

*Contra ca. 21.
lib. 5. de justif.
Bellarm.*

rum, solis viribus liberi arbitrij effectorū. Damnatur ergo hic sententia Scholasticorum in Papatu, qui hoc ipsum olim statuerunt ita enim Thomas scribit prima secundæ quæst. 2. *Creatura rationalis se ipsam movet ad agendum per liberum arbitrium, unde sua actio habet rationem meriti, quod non est in aliis creaturis.* Gabriel Biel in 4. sentent. dist. 16. quæst. 2. propos. 4. *Bona opera moraliter extra caritatem facta, merentur de congruo multa bona Spiritualia: quia merentur gratiam justificationis & augmentum virtutis.* Bonaventura in 2. sentent. distinct. 47. quæst. 3. *opus nostrum bonum meritorium, in quantum ortum habet à voluntate libera est meritorium merito congrui.* Et unanimes sententia Scholasticorum recensetur à Durando in 1. sent. dist. 12. quæst. 2. *Secundum omnes doctores, inquit, peccator carens gratiâ penitendo de congruo meretur gratiam justificantem.* Congruum enim est, ut bene utentibus donis nature propter Deum, det Deus bona gratie. Nec omnino alienum est ab hoc errore Concilium Tridentinum, quod Sess. 6. can. 7. docet *justitiam à Deo nobis infundi secundum dispositionem & cooperationem unius cujusq;* quæ est ipsissima meriti de congruo descriptio.

CXLIV.

Deinde docet Bellarminus, gratiam justificationis non posse obtineri ex condigno, sed solum ex congruo meritis operum ex fide & auxilio Dei speciali procedentium: quæ opinio falsissima est, ut supra aliquoties ostendimus. Semper enim scriptura opponit in articulo justificationis credere & operari Rom. 4. 15. *fidem & opera, etiam justorum Rom. 11. 6. Eph. 2. 8.* Et res in sese plana est Nam cum opera bona, quæ ex fide fiunt, sint justificatorum, quomodo mereri possunt primam gratiam justificationis. Quin & Bellarminus ipse hanc suam opinionem redarguit adsertione tertia ubi probat, gratiam justificationis non posse obtineri meritis sequentibus, cum & infantes post baptismum mox morituri eam habeant: quæ sanè cum prior opinione conciliari non possunt.

CXLV.

Porro scribit Bellarminus *nullum sanctum posse aliis mereri gratiam de condigno, quia nullum extet pactum, nulla promissio de merito alienæ salutis, & solum Christum ut caput Ecclesie hanc habuisse gratiâ, quâ membris omnibus gratiam & gloriam mereretur.* Quæ omnia bona sunt

sunt & scripturae consona. Sed mox altera manu destruit, quod unam aedificavit, dum addit: *non esse dubium, quod unus alteri ex congruo possit gratiam promereri, sicut S. Stephanus conversionem Pauli & Monica conversionem Augustini.* Sed ubi haec de re pactum, ubi promissio extat, imò ubi vel titulus scripturae est, qui hoc docet? Stephanum pro lapidantibus se orasse legimus, unde veteres dixerunt, si Stephanus non orasset Ecclesia Paulum Apostolum non habuisset, sed quod haec preces Stephani fuerint meritum de congruo, ineptiae sunt. Postulantur preces sanctorum pro aliis, habent etiam promissionem exauditionis, & respicit Deus fidem piorum, qui precibus ex fide profectis multa bona corporalia & spiritualia alijs impetrare possunt: sed meritum congrui ignorat universa scriptura, quae huiusmodi beneficia soli misericordiae Dei fert accepta. Viderit etiam Bellarminus, quomodo cum Scholasticis consentiat, nam ex his docuit olim Bonaventura, Doctor ille Seraphicus, precibus quidem piorum pro aliis deberi meritum, sed non condigni, verum digni, quemadmodum supra ex ejus commentario in lib. 3. sent. dist. 4. quaest. 5. audivimus.

CXLV.

Sed nondum satis. Fingit praeterea Bellarminus posse hominem *justum mereri, ex condigno, augmentum justitiae; idque non aliunde quam ex Concilio Tridentino probat, quod sess. 6. can. 32. ita doceat.* Resp. Sed sit sua autoritas huic concilio apud Pontificios, nos decretis ejus non tenemur. Iustitia nostra, qua coram Deo consistimus, tota est ex merito Christi, nec augmentum ullum capit, cum in remissione peccatorum gratuita consistat, quae majus & minus non recipit. Iustitia quam proximo praestare tenemur, augmentum quidem capit, sed donum Dei est, quod nullis nostris meritis consequimur, sed ex solo Dei dono habent justitiam & in ea crescunt, qui à Spiritu S. regi se patiuntur. Quid enim mereamur eo, quod iam ante debemus? Quod autem Augustinus tract. 77. in Iohan. scribit, *Eum qui diligit, Spiritum S. habere & habendo mereri, ut plus habeat, & plus habendo plus diligat:* id frustra à Bellarmino adducitur: nam Augustinus nobiscum agnoscit, à Spiritu S. esse, quod diligimus, vocabulo vero *Merendi* *κατα χριστιανως* utitur, ostendere volens, nos per Spiritum S. consequi augmentum dilectionis: ab eo enim de virtute in virtutem ducimur, & in bono custodimur. Nihil hic audis

audis de merito condigni quod figmentum Scholasticum est, superbia & hypocrisis plenum, quod Bellarminus ipse in iudicio Form. concord. rejicit, ut supra docuimus.

CXLVII.

Postremo loco disputat Bellarminus cap. 22. an reparatio post lapsum & perseverantia usque in finem cadat sub meritum condigni vel congrui: quorum illud negat, hoc asserit. Et quanquam non diffiteatur, se habere contradicentem Thomam *in 1. secunde quest. 114. art. 7.* rationibus tamen hanc suam assertionem roborare non dubitat. Ex scriptura affert quod 2. Paral. 19. dictum est ad Iosaphat: *impropræbes auxilium, & his qui oderunt dominum, amicitia jungeris, & idcirco iram Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te &c.* unde infert: regem illum bonis operibus apud Deum obtinuisse, ut etiam cum peccaret, à Deo non desereretur, nec pro meritis puniretur. Addit ex Psal. 70. *orare Prophetam, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me:* precessionem frustra fieri ait, si nulla ei respondere posset impetratio.

Contra cap.
22. lib. 5. de
iustif. Bell.

CXLVIII.

Nos scripturis istis opponimus alias, quibus nimirum Deus dicitur cor mundum creare in nobis, & Spiritum rectum innovare in visceribus nostris Psal. 51. 12. & operari in nobis velle & perficere pro sua bona voluntate Phil. 2. 13. Christus quoque appellatur autor & consummator fidei nostræ Heb. 12. 2. qui & ipse spem fecit neminem fore, qui rapiat oves è manibus suis Iob. 20. 28. Quis ergo, præter Monachos, tantæ erit impudentiæ, ut reparationem post lapsum & perseverantiam in bono hominum meritis adscribat.

CXLIX.

Quod dicta Biblica attinet, quæ Bellarminus adfert: in prioribus, quod ex 2. Paral. 19. 2. affertur, nihil aliud habetur, quam quod Deus pietatem & zelum illum Iosaphati, quem in removendis idolis adhibuit, respexerit, eumque mitigatione pœnarum, dum eum non projecit à facie sua ut Saulum & alios impios reges, remuneraverit, idque non ex aliquo merito, sed ex mera Dei gratia factum est, qui pietati hujus & futuræ vitæ præmia promisit 1. Tim. 4. in posteriore loco Ps. 71. 9. nihil aliud habemus quàm precessionem pro conservatione virium corporis in senectute: ita n. coherenti verba:

*ne proicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelin-
quas me: Si maximè ad virtutem animæ referas, quid hoc ad me-
ritum cōgrui? Deum orare debemus, ut virtutem corporis ac ani-
mæ in nobis conseruet: benè quoq; sperare, ipsum exauditurum
preces istas nō tamen propter ullum nostrum meritum exaudiet,
ubi enim hac de re verbum ullum? Sed, ego sum, inquit domi-
nus, qui deleo iniquitates tuas propter me Esa. 43, 25. & iterum pro-
pter me, propter me faciam, ut non blaphemer Ese. 48. v. 11.*

CL

*Ejusdem furfuris sunt rationes Bellarmini: Si potest justus
mereri de congruo, id est, impetrare alteri conversionem, cur non & ipse
sibi postulare & impetrare possit, ut si labatur, non deseratur, sed ad peni-
tentiam revocetur. R. Nota hic primum dissensum Bellarmini à
Scholasticis. Nam Bonaventura dicit, meritum congrui esse, cū
homo peccator facit, quod in se est, & pro se: meritum digni v.
vocat, cum quis alteri cuidam aliquid meretur in 1. sent. dist. 41.
quest. 1. & in lib. 3. sent. dist. 4. quest. 5. idem habet Nicolaus de Ny-
se & alij, de quibus supra. Bellarminus v. intercessioni pro alio-
rum conversione tribuit meritum de congruo. Deinde falsum
est, quod intercessio pro lapsis habeat rationem ullius meriti. Nā
debitores sumus, ex præcepto Christi, qui nos orare vult pro ini-
micis Luc. 8. & Apostoli Pauli, qui infirmos in fide vult à nobis
recipi Rom. 15, 2. & ab Apostolo Jacobo, qui orare nos vult pro in-
vicē, ut salvemur Iacob. 5, 16. Ex debito vero nullum potest eliquari
meritū. Præterea meritum de congruo peccatorum est, ut Bona-
ventura loquitur, seu eorum, qui sine Spiritu Dei, ex viribus li-
beri arbitrij agunt: peccatores v. Deus non exaudit Iob. 9. 31. &
sine spiritu nemo potest Christum vocare Dominum 1. Cor. 12. 3.
quomodo ergo alijs conversionem impetrabit? Denique quod
quis sibi impetrare possit, ut si labatur, non deseratur, nemo ne-
gat: sed ista impetratio nec meritum aliquod est, nec à nobis i-
psis, sed à Spiritu Dei, qui interpellat pro nobis, gemitibus in-
narrabilibus Rom. 8. 26. Prior ergo ratio Bellarmini nulla est.*

CL I.

*Altera sic habet: potest homo nondum reconciliatus per opera pæ-
nitentiæ impetrare, & mereri ex congruo gratiam justificationis; ergo po-
terit*

terit idem ipse, dum est justus & amicus Dei, impetrare & mereri ex congruo reparationem, si forte labatur. R. Antecedens est falsissimū, quod quidem lib. 1, de justificatione se demonstrasse ait. Sed quid demonstraverit, lectori pio & erudito expendendum relinquimus: nostri instituti non est ea hoc loco assumere: qui voluerit, consulat disputationem nostram de justitia Fidei, errori illi oppositam anno 1608. Hic tantum urgemus ea dicta, quæ fidem & opera in articulo justificationis opponunt, ut *Rom. 3. 8. Gal. 3. 16.* exemplum Abrahami, qui in medio cursu bonorum operum non operibus, sed fide scribitur justificatus *Rom. 4. 2.* definitionē justificationis Apostolicam, quæ consistit in remissione peccatorum *Rom. 4. 7.* meritum Christi, quod meritis operum nostrorum vel maximè enervatur teste Paulo *Gal. 2. 21.* quod August. in *Psal. 67.* scribit: opera bona esse ex fide; fides autem non est ante gratiam justificationis, quod idem Augustin. *Epist. 46.* hæreticos dicere ait. qui gratiam Dei secundum merita nostra dari putant, quoq; Gregorius Ariminensis in *lib. 2. sent. dist. 26. 27. 28. art. 1.* meritum congrui expressè dicit dissonare à doctrina sanctorum, & ab Ecclesiasticis definitionibus favereq; condemnato cuidam errori Pelargi: quod Georgius Cassander in sua consultatione fateatur, nulla bona opera præstari posse sine fide Christi, & ea in re nos habere non modò divinos consentientes literas, sed antiquos omnes, & recentes Ecclesiasticos scriptores. Quomodo ergo gratiam justificationis aliis mereri potest operibus bonis, quæ gratiam illam demum sequuntur? Cum ergo antecedens illud de merito primæ gratiæ falsum sit, consequens etiam de merito reparationis post lapsum, collabi necesse est

CLII.

Objicit Bellarminus sibi ipsi, quod per peccatum omittantur omnia merita præcedentia, igitur reparatio post lapsum bonis meritis ulla ratione reddi non posse. Respondet ipse, id verum esse, ut Deus respiciat ex clementia ad bona opera præcedentia. At vero quænam sunt illa opera bona præcedentia in homine post lapsum? annon omnia in Dei judicio pro non factis habentur? sicut scriptum est, si averterit se justus à sua justitia & peccaverit, omnis suæ justitiæ non recordabor amplius *Ezech. 18. 24.*

& Iacobus Apostolus dicit cap. 2. 10. qui peccat in uno, totam legem est transgressus. Neque ullum extat scripturæ dictum vel exemplum, ubi Deus, dum hominem lapsum recipit in gratiam, ad opera hominum præcedentia respexisse dicatur. Contrarium potius habemus, quod nimirum respexerit ad Abel & ad victimam ejus Gen. 4, h. e. persona prius fuit ei accepta per Messiam in quem credebat, postea ejus quoque opera acceptavit Dominus. Neque etiam desiderare debet homo pius, ut Deus opera sua etiam qualiacunque aspiciat, & secundum ea tecum agat; hæc enim ratione nunquam clementiam Dei impetrabit, sed duram profectò sententiam propter imperfectionem operum: quam ob causam noluerunt sancti, ut Deus opera sua vocaret in iudicium Iob. 9, 3. Psal. 143, 2. Et hæc severior sententia tangit non tantum eos, qui ex malitia peccant, ut Bellarmino videtur: sed quoscunque peccatores, cum omne peccatum sit transgressio legis, & iram Dei mereatur, nisi remissio, propter Christum interveniat, quanquam peccatum unum altero gravius esse, nemo negat: sed hæc consideratio non est hujus loci.

CLIII.

Falsissimum autem est, quod sub finem hujus capituli additur ex Thoma: *Peccata religiosorum etiam mortalia, sed ex ignorantia vel infirmitate commissa, minus esse gravia & facilius condonari quam aliorum hominum, propter bona opera, quæ religiosi assidue faciunt.* Ibi verò Sacrosanctum Christi meritum locum amplius non habet. Si enim propter opera bona religiosorum facilius condonantur, quid opus est merito Christi? Ita nimirum palpam sibi ipsis faciunt hypocritæ, quando libidinibus, iracundiâ, odio, superbiâ æstuant, hæc peccata omnia magni non faciunt, quia facile condonantur propter opera bona, quæ assidue faciunt, hoc est, propter missas quas cantillant aut audiunt, propter cilicium, & jejunium suum, propter peregrinationes ad loca sanctorum, & similia opera monastica, quæ operibus in lege præceptis multis parasangis anteferunt. Annon vero hæc sunt voces falsorum Prophetarum dicentium: *pax & non est pax Ezech. 13, 10.* sed fortassis fato factum, quod religiosuli isti prorsus obliviscuntur Christi, quasi propter ipsum eorum peccatorum, quæ ex infirmitate, (ut loquuntur) perpetrant, quan-

quanquam mortalium, remissio non sit necessaria. Verissimum enim est, quod Christi meritum nihil habeat commercii cum iis, qui propriis operibus innituntur: Sed experientur ipsi suo tempore, quod, ut *Adrianus de Trajecto* proprius ipsorum Pontifex, tanquam alter *Caiphas* verissimè dixit, baculo arundineo fuerint innixi, qui manum innitentis perforabit. &c. Et hæc etiam de quaestione tertia in disputatione *Bellarmini* de Bonis operibus, quæ est de meritis operum.

CLIV.

Nos illos meritorum patronos missos facimus, dicentes cum *Chrystomo* ex hom. 7. ad pop. Antioch. *Si quid boni fecerimus, nos gaudeamus propter regnum cælorum, sed quia rem gratam gessimus regi cælorum. Major erit merces, si bonum non spe præmii feceris. Quid enim opus est, de mercede verba facere, præmiumq; operis curiosè spectare? Mercenarii magis hoc est, quam grati & ingenui discipuli. Oportebat enim omnia propter Christum facere, non propter mercedem, &c.* Ei autem qui nos dignos fecit ea edere opera in infirmitate nostrâ quæ sint Ipsi grata; qui navos adhærentes perfectione filii tegit; qui solius Christi meritum & superabundantem satisfactionem à nobis acceptat, sit honor, gloria, virtus & imperium sempiternum. Is nos in bono confirmet, infirmitates sanet, & tandem ad cæleste regnum filii sui transferat, ut ipsum ibi sine defectu colamus, sine macula diligamus, sine tædio videamus, & sine fine celebremus.

Amen.

F I N I S.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text in the middle of the page.

1 1 1 1 1



05 A 2028

ULB Halle 3
003 785 564



1011





DISPUTATIO ORDINARIA
De
MERITIS BONO-
RUM OPERUM; *Conf. Ti*
quæ est de Bonis Operibus Tertia; *ms. 48*
Opposita toti Libro quinto Bellarmini de
Justificatione;

Et publici exercitij gratiâ proposita in inclytâ
Academiâ Wittebergenſi.

PRÆSIDE

FRIDERICO BALDUINO D.
Professore & Superintendente.

RESPONDENTE

M. LEVINO POUCHENIO,
Regiomontano Boruffo.

Habebitur adjuvante Domini Spiritu ad diem 17. Novemb.
horis locoquè solitis.



WITTEBERGÆ,

Typis GORMANNIANIS, Anno 1620.